LVCII SCARANI
PHILOSOPHI MEDICI
Academici Veneti.

SCENOPHYLAX

Dialogus, in quo Tragædijs, & Comædijs antiquus Carminum vſus reſtituitur, recentiorum quorundam iniuria interceptus.

Et de vi, ac natura Carminis agitur.

AD ILLVSTREM, ET CLARISS^{MVM}.
ADOLESCENTEM
Dominicum Ruzinum Caroli F. Patritium Venetum.

Cum priuilegijs, & Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI



NEAPOLIS BIBLIOTHECAE CAPUCCINORUM CONCEPT. BIB. NOV.

VENETIIS,

Apud Ioan. Baptiſtam Ciottum Senenſem.

LVCII SCARANI
PHILOSOPHI MEDICI
Academici Veneti
SCENOPHYLAX
Dialogus, in quo Tragœdijs, & Comœdijs antiquus Carminum uſus reſtituitur, recentiorum quorundam iniuria interceptus.

[illegible]

AD ILLVSTREM, ET CLARISS. ADOLESCENTEM
Dominicum Ruzinium Caroli F. Patricium Venetum.

Cum priuilegio, & ſuperiorum permiſſu.

VENETIIS,

[illegible]

ILLVSTRI, ET CLARISSIMO

& Ornatiſsimo adoleſcenti.

DOMINICO RVZINO, CAROLI FILIO.

IRVM in modum optaui ſemper, Dominice Ruzine Clariſſime, vt tempus aliquod incideret, in quo meam in te beneuolentiam, & ſummam animi propenſionem, aliquo manifeſtiori ſigno declarare, nullo rerum tuarum tamen incommodo, mihi liceret. Ad huiuſmodi vero me cupiditatem impulerunt, non quidem plurima, quibus in hac vrbe præcipue flores, & corporis, & fortunæ bona, generis nobilitas, inter Venetorum familias,

illuſtris; diuitiæ, quibus abſque inuidia, familiæ tueri dignitatem, & exornare potes, & ſoles, & in alios egregia beneficia conferre; hæc enim, & ſi ſint in hac ciuili vita vehementer optanda, quorum cauſa in patria ſalutamur, appetimur, deducimur, & multa publice, ac priuatim honoris inſignia conſequimur, non tamen vera, neque per ſe bona ſunt vnquam à ſapientibus uiris, & à te præſertim, exiſtimata; cum poſſint eſſe cum plurimis, & ijs indignis hominibus, communia. Verum virtutes ego tuas admirari conſueui, ſolertiam, ingenium, quos ſuſcipis aſſiduos, & nunquam intermittentes, litterarum cauſa, labores, lenitatem, & cum lenitate coniunctam animi magnitudinem, & prudentiam, quibus ætatem ipſam ſuperas. Quo fit, vt quæ natura tibi dedit, & fortuna, ijs non ad labefactandam virtutem, vt plerunque ſolet, abutare, ſed eadem virtuti ſubiecta, precioſiora multo, dum illi parent, efficias. Quam quidem in ſententiam, & vitæ rationem, cum tua voluntas, & electio, & infixus quidam virtutum amor inflammauit, tum etiam ampliſſimi viri patris tui diligens, ac vere paterna ſollicitudo, confirmauit. Is enim velut alter Vlyſſes, antequam ad Rempublicam accederet, honorifice peragrata magna terrarum parte, Septentrionalibus ma-

xime

xime regionibus, cum plurimorum mortalium ingenia, mores, conſuetudines, viuendi ritus expertus, multarum vrbium adminiſtrationes, earum vitia, virtuteſque notaſſet, velut opportuna, multaque præda, vndique tibi collecta reuerſus onuſtus, & potuit, & voluit omnino, te filium in earum artium, & ſtudiorum diſciplinam tradere, quæ & in patria ſæpius, & poſtea foris apud exteras nationes, multis periculis, & magno ſuſcepto labore, collaudauerat in alijs. Itaque non ſumptibus, non induſtriæ, non defatigationi pepercit vlli, vt quæ tu dederas à teneris annis ingenij, pudoris, humanitatis, & futurarum adumbrata ſigna virtutum, ea, firmioribus annis, accurate præſtares. Tu vero non ſolum expectationi reſpondiſti patris, & tuorum, ſed in medio itineris curriculo, quaſi robuſtioris ætatis, & annorum auxilia deſpiciens, omnium opinionem, prærepto tempore, ſuperaſti, omnium voto, præterquam tuo, maior; vt vno propemodum, & eodem temporis momento, ſementem videremus, & fruges. His igitur effectum eſt, ut omnes, quibus es aliqua ratione cognitus, te colant, admirentur, & ament. Ego uero non ſolum his ipſis tuis dotibus, ſed etiam officijs in me tuis adductus, nihil eſt omnino, quod tibi non debeam. Cum uero plurima cupiam, pauca poſ-

ſim, hoc tibi leue munus, animi mei ſignum, infirmum illud quidem, & exiguum, ſed tamen aliquod ſignum, afferre malui, quam nullum; in quo quantum uelim agnoſcas, quantum poſſim, ignoſcas. amplioribus tu quidem dignus, eſt tamen tibi animus, qui minora non aſpernetur, & quod merita tua recuſarent, id humanitas alacriter excipit, & amplectitur. Maiora tamen in maiori materia poſthac, hæc ſi leuia uidebuntur, expectabis.

Vale. Venetijs. Cal. Quintilis. M. DC.

Tuis virtutibus deditiſsimus

Lucius Scaranus.

LVCII SCARANI
PHILOSOPHI MEDICI
SCENOPHYLAX,

Id eſt, de Reſtituendo Tragædijs, & Comædijs carmine.

DIALOGVS.

CONSEDERAM his diebus, vt conſueuerã antea ſæpe, ad officinã Ioannis Baptiſtæ Ciotti, liberalis, & officioſi hominis, & ingenua quadam, ac ſpectata fide bibliopolæ; mecũq; vna Fabius Paullinus, & Io. Petrus Ayroldus Marcellinus, vir vterq; in omni litterarum genere celebratus, mihiq; arctioris religionis vinculo coniunctiſſimus, & ipſi Acad. Veneti. Cũ autem ab ipſo Ciotto quærere-mus, nunquid noui? concurritur enim illuc, vt in centrum vrbis, à plurimis, ac ſemper aliquid affertur, quod aures paſcat, & animum. Noui nihil inquit, niſi quod magnum aliquod maluiñ huic officinæ uideo, niſi mea me ratio fallit, aut numen aliquod mihi ſit aliqua ratione propitium, imminere. Quidnam inquam id mali eſt. Scies, ait ille. Paucis ab hinc annis oratione ſoluta ſcribi Comędiæ cæptæ ſunt, & Tragędiæ. uidiſtis opinor Auguſtini Michaelis Cianippum Tragædiam oratione ſoluta compoſitam, eiuſdemque ſermones, quibus hoc poſſe fieri diſſerebat. uidiſtis & alias horum temporum huiuſmodi Comędias, & Tragędias, hoc noſtro uulgari ſermone ſcriptas, in manibus haberi. quid multa?

nunc alios nonnullos eſſe audio, non infimi nominis uiros, qui idipſum non modo laudent, ſed etiam rationibus adductis, ita faciendum affirment, atque Tragędias, & Comędias, hucuſque uerſibus explicatas, & ab omnibus receptas, ex omni memoria, tanquam inutiles, & ineptas, prorſus exterminandas cenſeant. Itaque cum mihi ſuperſint antiquorum auctorum, Sophoclis, Euripidis, Terentij, Plauti, aliorumque multorum, uolumina multa, Latino, Græcoque ſermone, diuerſis in locis impreſſa, uereor ne ea mihi ſint in perpetuum tempus habenda, ſi hæc nimium increbuerit opinio. Iam enim emptorum mira paucitas eſſe cæpit, nec ut antea, perſpicio tam multos ad huiuſmodi libros confluere. Hæc igitur me cogitatio ſollicitum habet, ac præter hoc, nihil eſt, quod uobis afferam noui. Tum Paulinus. id ergo te cruciat? uana times Ciotte; Solent enim homines eruditi quandoque iocari paulisper, & admirabilem aliquam, ac paradoxam, animi credo cauſa, tueri ſententiam; fortaſſe quoque, ut ingenij præſtantiam oſtendant in re, de qua ſecus tamen ipſi ſentiant. quos non tam opinionis, quam ſequuntur, imbecillitas refellit, quam impetus quidam mentis, & geſtientis ingenij conatus, & elatio quædam excuſat. horum ego ſoleo mentis aciem laudare, de argumento non ualde laborare. Conferunt autem hanc ſententiam in Clariſſimum uirum Iacobum Zabarellam, quam ego nec inter eius ſcripta reperio, nec ab eo vere prolatam, arbitror. Tum Marcellinus. Equidem Zabarellam multos annos audiui, Patauij cum eſſem, nec huiuſmodi quicquam ab eo memini me audire; qui tamen cum de philoſophia ſæpiſſime, tum de Rhetorica, & Poetica non raro nobiſcũ agebat. Aderat ibi tũ forte in officina Põpeius Limpius Iapygius, vir acutus, in omniũ litterarũ ſtudio, ſed & in his humanioris diſciplinæ campis, diu, multũq; verſatus Academicus quoq; Venetus is cum ita, diſſeretẽ audiſſet ea de re Paulinũ, non mehercule adeo contemnenda, inquit, illa videtur opinio, vt tu Pauline credis; ac ſi per Ciottum liceret, non animi, vel ingenij cauſa, verum ſedulo & illos ita loquutos oſtenderem, & ipſe non imbe-

cillis,

cillis, vt mihi perſuadeo rationibus, hoc argumentum tractarem. Veritatis cauſa, inquit Paulinus, licet, nec inuito quidem Ciotto. Sed quid habes, obſecro, Limpi; quod in hanc ſententiam dicas? uideris enim aliquid ex illis tuis abditis, & internis litteris, hauſiſſe, quod & noſtris, imò politioribus auribus, & te ipſo dignum, videatur. LIMP. Dicam profectò, quod & ipſe ſentio, & ex aliorum vel ſermone, vel ſcriptis, accepi, qui tum noſtra, tum ante noſtram memoriam floruerunt; & niſi ego vos in meam potero, me vos in veſtram fortaſſe deducetis opinionem. modo verum eliciatur, mea nihil refert. Sed vereor, ne non ſatis otij ſit huic Scarano ad has nugas audiendas, homini plurimis in rebus occupato: vidi enim ego ſępiſſimę, domum ipſi nobilibus viris refertam, qui vel de Rhetorica, vel de Dialectica, & Philoſophia, vel de Mathematicis etiam, ipſum audirent. SCAR. Ego uero lubens omnia prætermittam, ut uos hac de re diſceptantes auſcultem, de qua prius uel nunquam ab vllo quicquam, uel inania quędam a paucis, audiui dubitata. PAVL. Ego certe nunquam, & niſi Limpius hanc afferret opinionem, cuius ingenium, & doctrinam maximi ſemper feci, nollē in tam futili diſputatione diutius hoc tempus terere, quod in facienda medicina foret accommodatius. Limp. Quod tam egregio ſitis in me animo, gratiæ uobis habētur a me plurimæ. SCAR. Mitte quæſo gratias; ac tandem, ſi lubet, incipe. Limp. Multis equidem probare poſſem argumentis, ex alijs auctoribus, & ex Ariſtotelis doctrina, & ex ipſa rei natura præſertim, decerptis, comędias, & tragędias, non eſſe numerorum, ac metrorum uinculis illigandas, nec poſſe, niſi ſoluta tantum oratione, decorum in eis, & dignitatem, ſeruari, carmine uerò conſcriptas, utilitatem afferre nullam, & uim omnem amittere, perturbato, vel potius extincto in illis uerſimili. uerum ne prolixioribus uos, minime ocioſos, detineam uerbis, tres omnino rationes nunc erunt ſatis. SCAR. Vna tantum poſſet eſſe ſatis, modo uera. Sed uereor, ut ualde probes, quod ſuſcepiſti. Arduum hercle iter, & deuium, & niſi

proſpicis egregie præceps,& lubricũ. LIMP. cedam uobis niſi probauero, nec me pudebit eſſe lapſum. Conſtans igitur eſt apud omnes hoc ueluti principium, Poetarum officium,ac munus eſſe præcipuum, hominum actiones imitari, ut eoſdem ad bonos mores, & ad cõmodiorem vitę uſum, informent, & inſtituant; idque fictis quibuſdam aut perſonis,aut perſonarum actionibus, & perpeſſionibus, tanquã exemplis ante oculos poſitis. uidetur hoc? Paul. Mihi uero quid ni. LIMP. Hoc iacto fundamento,dico, quia decoro, ac ueriſimili carent, quia ſunt obſcuræ, quia ſunt inutiles, his tribus de cauſis, tragędias, & comędias, quæ carminum uinculis continentur, eſſe reijciendas, & rurſus quas oratio ſoluta cõueſtit,eas eſſe retinẽdas,& probandas. PAVL. Magna profecto dicis, & magnum importas Græcis,& Latinis auctoribus detrimentum, ut merito conqueri Ciotus, & triſtis eſſe debeat,imọ nos triſtiores,quos, relictis illis adeo præclaris,ac diuinis ſcriptoribus, & loquendi,ac docendi magiſtris,ad Amadiſios neſcio quos ſcilicet, oportet, & ad Sphæramundos, & ad huiuſmodi Poetas, confugere. hi namque dimiſſo carmine, fabulas tamen, & imitationem, retinent poetarum.Sed quonam modo tu Προβλήματα, & concluſiones iſtas admirandas, probes,id iam expecto. facile enim eſſet, & unicuique promptum, ingentia polliceri, niſi præſtare,quæ ſis pollicitus oporteret. LIMP. Nõ eſt,quod diutius expectetis. hæc erit enunciati primi,ratio.

In Comœdia,& Tragœdia rectiſſime poſſumus oratione ſoluta hominum actiones imitari,carmine vero non item,imo peruerſe, & importune, ſequitur ergo, ſolutam in Comœdijs, & Tragœdijs orationem eſſe retinendam, metricam prorſus abijciendam. Hæc eſt una, & prima ratio, quam poſtea,ſi probatione uidebitur indigere, facile confirmabo. Altera deinceps ratio pertinet ad auditorem, ex difficili intelligentia deducta. *quod enim ad hominum, & populi mores, & ad vitam optime vel inſtruendam, vel corrigendam, factum eſt, id facile percipi debet, at hoc non præſtat vllo modo Carmen, dicendi nimirum genus inſuetum, & vel eruditis viris arduum, non igitur aſſequuntur*

tur finem ſibi propoſitum, qui carmine Tragædias, & Comædias componunt. Denique; & hæc tibi ſit ultima, & tertia ratio, *fine fruſtrantur auditores. nam cum Tragædiæ, & Comædiæ proprius finis ſit utilitas, non voluptas, dum illi tantopere voluptati ſtudent tum ei, quæ ex verſu, tum quæ ex alia harmonia percipitur, quam obſecro hinc vtilitatem poterit auditor, ad voluptatem conuerſus, capere, cum omnia referantur in his ad voluptatem?* Alia præterea multa mihi ſunt huiuſmodi acuta ſpicula ſub brachio, quibus ego nunc ſuperſedeo libenter, ne multitudine uidear uoluiſſe, non præſtantia, & uirtute miſſilium, decertare. PAVL. unum potuit argumentum, ut Scaranus antea dixit, eſſe ſatis, modo uerum, & efficax. ueritas enim non tam multis eget explicationum armis; ex ſe ipſa ſe profert, & emergit, leuem occaſionem nacta; falſo, ac mendacio plurimis opus eſt adminiculis, ut exiſtat. Nunc ſi placet, iſtas rationes examinemus, unamquanque ſigillatim, & inuolutum hoc euoluamus, atque atramentum, ſi quod eſt, ab oculis diſcutiamus. MARCEL. Niſi me fefellit auditus, primum illud argumentum, plenũ rimarum eſt, hac, atq; illac perfluit. SCAR. Quæ (malum) Marcelline, agis? dum comicorum numeros in ius uocare uides, proferre Terentianos numeros audes? MARC. nõ ne, & ipſe Lyricos in certamen eduxit, & illa ſub brachio ſpicula, Pindaro detracta, ueluti ſua iactauit? SCAR. Vterũ agici nunc oppugnantur, & Comici, Marcelline, non Lyrici; cũ quibus induciæ, vel, ut arbitror, ęterna pax. PAVL. Quęſo Limpi, ne graue ſit; iteradum illud argumentum mihi, quod prius propoſuiſti. Limp. En repeto. *Soluta, inquam, oratione melius, & aptius.* PAVL. ſatis eſt, in memoriam reuocaſti. teneo. Oratione ſoluta melius, & aptius, nos actiones humanas, quam uerſibus, imitari, id falſum eſt, & negant omnes; imo ſecus accidere, & ratio docet, & vſus, atque Clariſſimorum virorum auctoritas comprobauit. Verumtamen tuum erit, iſtius tui dicti veritatem oſtendere. LIMP. Facile fuerit hoc vobis explicare. SCAR. Quonammodo id explices expecto ita viuam, auide; non enim vulgare quicquam, aut ſubrancidum, allaturum te

eſſe, confido, ſed accuratum, & perpolitum, quaſi dudum ex infectore. LIMP. Omnes, quicunque quotidiano ſermone loquuntur, ſerui, mulieres, reges, & reliqui homines, id peto, quonãmodo loquuntur? PAVL. Suo quiſq;, ſerui ſeruorũ more, reges regum; & cuiq; hominũ generi ſui ſunt mores, quos in loquendo ſequatur neceſſe eſt. hoc enim puto decorum illud eſſe, quod Græci Πρέπον appellant. LIMP. Audio. verum non id nunc ego quæro; ſed, hi ſolutane oratione, an uerſu loquantur? PAVL. non modo ſoluta, ſed etiã diſſoluta, populari, incondita, vt in buccam venit, effutiunt, ac denique caſu quodam, & fortuito. quid tum? LIMP. Eo ſane modo, quo vere loquuntur illi, ſic tuos illos effictos in Scena loquentes introducas volo. Si pedeſtri ſermone illos aſſidue, & omnibus horis, inter ſe colloqui videmus, cur verſus, & numeros, quos nunquam didicerunt, eorum imitatoribus in theatro conceditis? & efficitis, vt hac ratione veriſimile, quo maxime poemata nitumur omnia, corruat, & euaneſcat? non enim veriſimile uideri poteſt, ebrium aliquem, aut mancipium, aut ganeonem, per diem integras horas, verſus elaboratos ex tempore, tam apte ſonantes effundere. qua de cauſa recte dixi, vitioſam prorſus imitationem huiuſmodi videri. SCAR. Acute admodum, ac ſubtiliter Limpi, verum haud ſcio, num ſatis hoc Paulino probaueris, qui poetarum omnium & horum præſertim, alumnus, & fautor, & optimus ipſe poeta, ſemper extitit, atque cum muſis Dialecticorum etiam acumen optime coniunxit: & ſi iamdiu Muſis his nuntium miſerit, nec has amplius aſpicit, altioribus ſcilicet & philoſophiæ, & medicinæ ſtudijs addictus, in quibus etiam excellit. PAVL. Difficile nobis, amice fuerit, opinor, ſophiſtarum captiones, & fallacias iſtas internoſcere, diſcutere, atque comprimere. Quæſo, Limpi, bonam in partem accipias, quod dico. iſta tuorum argumentorum ſpicula priuſquam emitterentur in Tragædias, & Comædias, reflexa, retuſaq; cuſpide, conciderunt. nam, per Venerem, & Apollinem, ac Muſas omnes, quid opus eſt poeris quid Sophocle, quid Euripide, quid Plauto, quid ceteris eximijs viris, & ad-

mirabili ingenio præditis, ſi vel ſeruum de piſtrino, vel ſcortum de Lupanari, vel patrem familias aliquem de plebe, poſſumus in Scenam adducere, qui melius, & opportunius ipſi partes ſuas agant, quam illi, quos poeta ſuppoſuit, latine, vel Græce loquentes; ſeruos ancillas, milites, totius latinitatis ignaros; & numerorum omnium rudes? horum enim quiſque melius, & magis vere, ſeipſum, vel alterum ſibi ſimilem, imitabitur, propriam orationem, vocem, habitum, geſtum, & elocutionem, proprios mores, & actiones ſyncere magis exprimet, quam poeta, vel quiuis alter, ab illis moribus alienus, illius fortunæ, humilitatis, & naturæ illius expers, & ignarus. Reijciamus ergo poetarum artem, amandemus ingenia virorum, & omnem in dicendo facultatem contemnamus licet; cum abſque tanta poetarum lucubratione, præſto ſint, qui melius, & opportunius Comædiam nobis, & Tragædiã exponant, & obtrudant: quo quid abſurdius excogitari poteſt? Tu mihi Tragædiam, aut Comædiam, vocabulis, elocutione, & ſtylo cõmuni, vulgari, & incondito, tractes, & te bonum aut poetam, aut poetarum criticum, & arbitrum, dicas? At ſtylo, inquit, vtar, quam fieri poſſit elimato. Recedes igitur ab illorum ſtylo, quos imitaris, qui caſu loquuntur, & incondite; & denique quicquid elaboraueris, quicquid illi præter ipſius naturam affinges, id erit imitationi repugnans, & contrarium. Audi quæſo Platonem, quanti Tragædiam faciat; qui libro de Republica 8. *non temere, inquit, Tragædia, ſapiens artificium eſſe, atque in ea Euripides excellere videtur.* Et in Minoe *ſi ſapitis,* (inquit Socrates) *illud diligenter cauere debetis, ne poeticum hominem vobis infenſum efficiatis. vis enim magna poeſis eſt in vtranque partem, ad laudem, & ad vituperationem. hæc autem vrbs cum cæteris ſapientibus plurimis, tum vel maxime poetis omnis generis, ac tragicis præſertim referta eſt. Tragædia vero hic eſt antiquisſima. hæc autem ex vniuerſa poeſi* δημοτερπέστατόν τε, καὶ ψυχαγωγικώτατόν ἐστι, *populum vehementer oblectat, & allicit.* Et idem philoſophus in Theæteto. *Et in hoc omnes per ordinem ſapientes, excepto Parmenide, conſenſerunt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, & poetarum*

in

in vtroque poemate ſummi, in Comædia Epicharmus, Homerus in Tragœdia; & lib. de Repub. 10. idem ait, *A nōnullis accepimus, tragicos poetas artes omnes intelligere, humanaque omnia tum ad uirtutem, tum ad vitium pertinentia, necnon, & diuina.* Et quæ ſequuntur. Quid ſibi volunt iſta tam præclara poeticę laudis teſtimonia? quidnam illis hoc tribuit, vt tantum dicendo valerent, ſiue laudare, ſiue reprehendere quenquam voluerint? vnde tanta delectatio? cur ſummi? cur ſapientes? quid humanarum rerum, quid diuinarum, quid artium omnium tanta cognitione opus eſt tragico? ſufficit imitari tantum perſonas eo ſane modo quo paſſim vulgo, ſine diſcrimine loquuntur. Sed omitto Platonem, cuius omnia ferè ſcripta referta ſunt horum ſapientiæ laudibus. Affert ille doctiſſimus Ariſtophanis interpres Græcus, Oraculum Apollinis, cuius meminit etiam Origenes contra Celſum, quod fuit huiuſmodi. Σοφὸς σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης, ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος. *Sapiens Sophocles, ſapientior Euripides, omnium hominum ſapientiſſimus Socrates.* Nunc igitur abs te quæro. Si ſapiens eſt Euripides, in quo ſitam putes hanc illius ſapientiam? num in eo, quia recte imitatur uerũ? id tu negas, & imitationem non uerìſimilem obijcis, primũ, quia carmine: ſtultũ ergo, & harũ rerũ ignorãs oraculũ. deinde quia plurimis ſentẽtiarũ luminibus, quæ nequaquam proferret is, quem imitatur; poſtea, quia melius id ipſum efficeret ille, uel illi ſimilis, quem ſibi poeta propoſuit imitandum. aptius enim tu Limpi uirum Appulum, & Barenſem, iſtius ordinis, ſtudiorum, habitus, & uitę, poſſes exprimere, quam Accius, aut Sophocles, qui Bari nunquam fuit, nec Barenſem fortaſſe, ac tui ſimilem uidit ullum. Qua igitur in re, niſi in his, ſapiens fuit Euripides, aut Sophocles? illi, inquit, recte fabulas inueniebant; & diſtribuebant. Si ſumma ſapientia hæc eſt, quam multi fuiſſent illis temporibus, & hoc noſtro quoque eſſent, illa ſapientia præditi, & illo præconio digni? Tanti ne fuit igitur obſecro, fabulam tantum componere? Eſt quidem magnum & laudabile, ſed non adeo diuina res eſt iſta nuda, & exanguis fabula, diuino ut teſtimonio ſit com-

pro-

probanda:aliquid ergo prçterea fuerit oportet in illo poeta, de quo ſic fuerit loquutus Apollo. Sed oraculum inſipiens eſt,& falſa loquitur. Auctor libelli de oratoribus ſui temporis, ſiue Quintilianus is fuerit, ſiue Tacitus, hæc auſus eſt de Tragędia pronunciare. *Nec vllus Aſinij, aut Meſſalæ liber tam illuſtris eſt quam Medea Ouidij, aut Varij Thyeſtes.* Sed audi magnum Philoſophum; Maximus Tyrius, cum de philoſophiæ ſtudio loqueretur, his uerbis hortatus eſt homines ad illud ipſum ſtudium. *Siue quis poetica ſectatur, accedat, aliunde ſibi verſum tantũ comparans, reliquas hinc ſibi ſumat opes. quod magnificum eſt, excelſum, illuſtre, ſplendidum, ferax, & facundum, ac diuinum; domeſtica prudentia, dramatica omnis ratio, in vocibus vbertas, & in harmonia firmitas, hinc illi plena manu ſuppeditabitur.* auctoris uerba ſunt hæc, ualde pulchra. Εἴτε τις ποιητικῆς ἐρᾷ, ἡκέτω, πορισάμενος ἄλλοθεν τὰ μέτρα μόνον, τὴν δὲ ἄλλην χορηγίαν λαμβανέτω ἐντεῦθεν, τὸ σοβαρὸν, τὸ ἐπιφανὲς, τὸ λαμπρὸν, τὸ γόνιμον, τὸ ἔνθεον, τὴν οἰκονομίαν, τὴν δραματουργίαν, τὸ κατὰ τὰς φωνὰς ἀπαράλλακτον, τὸ κατὰ τὴν ἁρμονίαν ἄπταιστον. Vides quam magna, quam præclara polliceatur hic philoſophus uniuerſæ poeticæ, non aliena nimirum, & extranea, ſed propria, ſed conuenientia ipſi poeticæ, ſed eximia, illuſtria, & diuina; uerſum autem, ut maxime proprium ornamentum, & ſingulare poetarum, eis offerre nec poterat, nec debebat, uerum cætera omnia, quæ commemorat ampliſſima, tribuit ipſis. hæc autem omnia, carminibus adiunctis, ipſam poeticam conſtituũt. Nec omnium eſt id poſſe præſtare, quod in Ionem contulit Plato, *ipſum ſtupore quodam perculſos, abſtractos, & concitatos, efficere ſpectatores;* quãdo? *Cum apte carmina profert, cum miſerabile quiddam, aut flebile ſuper Andromacham concinit, aut Hecubam; aut quocunque eum carmina rapiant.* Quamobrem non ſine cauſa eidem ipſi philoſopho uiſi ſunt poetę, nobis, tanquam patres atque duces eſſe ſapientiæ, ac prudentiæ, uirtutumque omnium genitores. Hæc autem qui quæſo conuenient in illos tuos diſcintos, ac pedeſtres, nudos, & inornatos tragicos, & comicos, ſi eos ita ſcribentes facias, ut ijdem ipſi loquerentur, quos in ſcribendo conantur adum-

brare.

brare, ſi poëtarum ornamenta contempſerint omnia, modo melius, & plenius imitentur? Deinde, qua lingua loquentur iſti tui ſerui, mulieres, reges? græca ne, an latina, an alia quauis? Si noſtra tantum hac uulgari, qua nunc utimur, releganda nobis erit in perpetuum tempus & Latina, & Græca, & cæteræ omnes, in anguſtum profecto circulum iſta miſerrima poemata compelles. Si Latina, tua tu iura prior euertes, non enim ueriſimile tempeſtatis huiuſce ſeruulum adeo latine, uel attice loqui. Poſtremo, quos ut reges, aut magnos uiros in tuam Tragædiam conijcies? ex tua patria? fortaſſe nulli erunt, aut unus tantum. alienæ regionis iſti ſint oportet, & longinquæ; nec præſentis temporis; ne propinquæ, actionis cognitio, fictionis, & fabulæ deprehendat falſitatẽ. Reges igitur externi, qui ante millenos annos fuere, qua lingua loquentes induces? Si ſua, non intelligam; ſi tua, non credam. uſus autem, & conſuetudines illorum temporum, & illarum regionum ad noſtras erunt accommodandæ, uel illæ retinendæ. Sed neutrum ueriſimile. Vide igitur ne, dum uſquequaque, & omni prorſus ex parte, iſtam imitationem, uelut unicam filiam amplecteris, ac tueris, omnem penitus imitatiónem euertas, & non modo cothurnos, ſed etiam togam, & pallium amittas: LIMP. Quæ tu conceſſiſti, Platonem, & Tyrium ſecutus, ornamenta poetis, & plurima etiã alia, quæ ijdẽ illi philoſophi pluribus alijs in locis commemorant, per me habeant ipſi. concedo, nec repugno quicquã. cętera, inquam, omnia relinquo poetis iſtis, & permitto, verſum autem aufero ſolum; id ea, vt dixi, de cauſa, vt imitatio conſtet, & veriſimile, non igitur adimo Cothurnos, & Soccos, non ornamenta, non ſplendorem, non ſuauitatem; concedo ſapientiam, & diuinitatem etiam, ſi ſic Oraculo placet; verſum tãtum vel inuitis oraculis adimo, numerum illũ & harmoniam adimo. PAVL. Ergo ſi ornamenta illis, orationis elegantiam, artem, & huiuſmodi alia relinquis, omitto nunc hac ratione te neceſſario verſum quoque relinquere, id autem poſtea docebo, verum ſi hoc illis remittis, & condonas, vt verſu tantum mulctati, reliqua ſibi ha-

beant

beant ornamenta, ne tum quidem iſthæc imitatio tua conſtabit; ſerui namque, mulieres, milites, nec ornate, nec eleganter, nec ex arte loquuntur vlla; barbare potius loquuntur, inconcinne, ſine delectu loquuntur. quonam ergo modo tam ornate loqui poterunt illi, præter ipſorum conſuetudinem, & naturam, aut ſerui, aut mulieres, imitatione ſalua, equidē ſatis videre non poſſum. aut enim omni prorſus ornatu ſpolies ipſos & comicos, & tragicos, oportet, vt decorum iſtud tuum in imitatione retineas, aut ſi quicquam ipſis gratificari volueris, decoro: non enim vtrumque licet. Verum acerrime tu quidem hos inſectaris, & exagitas infelices verſus, ac pertinaciter admodum es infenſus numeris, in quibus nihil tē videtur omnino, niſi defixa quædam, & hærens imitationis cura; perturbare qua in re non ſolum ab vſu, & conſuetudine præclariſſimorum virorum, quorum eſſe ſimiles, verum ab Ariſtotele, Platone, & alijs, quorum acquieſcerē prę ceptis debemus, à ratione, ac demum à te ipſo plane diſcedis, qui concedis totum, eripis tamē a toto partem, ſine qua totum eſſe non poteſt, vt ex ijs quæ poſtea dicam facile apparebit. nunc vero quod ad vſum, & inſtituta virorum; primum illud eſt manifeſtum, tragędiam Ἀπὸ τῆς ᾠδῆς, hoc eſt à verſu prima ſuæ natiuitatis initia duxiſſe. Carmen enim quoddam concinebant, cuius præmium erat victori propoſitū Τράγος, hircus, vt vitibus infęnſus, quamobrē Horatius appoſite dixit: Vilem certauit ob hircum; concertatores autē huiuſmodi Τραγῳδὸς appellabant, Διὰ τὴν ἐπὶ τῷ τράγῳ ᾠδὴν, *ob verſum hirci cauſa factum*. Quare ſi nomina illius rei naturā ſequuntur, cui fuerunt impoſita, quod Plato pluribus in Cratilo declarauit, & erudite ſatis & copioſe venuſta virgo Lucretia Marinella, noſtri ſęculi decus, & altera Corinna in elegantiſſimo libello demonſtrauit, quem proxime, de Mulie- lierum nobilitate, atque præſtantia, multa doctrina refertū, in lucem emiſit, nō poſſumus ea ratione huiuſmodi poemata verſu ſpoliare, quin eodem tēpore vim, & naturam ipſorū funditus euertamus, hoc enim idem plane eſſet, ac ſi vellemus, animal rationale ipſa ratione, atque fortem virum for-

titudine priuare. itaque vel ad ineptias, & abſurdam ſententiam abibis, vel antiquiſſimo poemati nomen etiam erit ſimul cum natura mutandum. Præterea, ex omnibus, qui a primis horum poematum incunabulis, primaque conſtitutione, tragædias, & Comędias, ad ætatem vſque noſtram, accurate, & cum laude ſcripſerunt, neminem vnquam vidimus, qui uerſus contemnere, ac ſolutam orationem in vllum admittere poematis genus auderet. Euripidis, Aeſchyli, Sophoclis Ariſtophanis, Epicharmi, plurimorum Græcorum, venerandum adhuc, & immortale nomen. Ennio, Pacuuio, Accio, Plauto, Terentio, Seneca, nihil inter Latinos glorioſius. carmine ſcripſerũt omnes; in quibus & ſi nonnulla ſint a diuerſis aliquando ſubtiliter, & putidius etiam notata, nullus omnino fuit vnquam, qui vitio id eis verteret, ac pedeſtri ſermone melius, & opportunius, eos ſcripturos fuiſſe, diceret. Auſi ſunt aliquando Pherecides, & Ecatæus, vt Strabo Gæographus aſſerit, & Euſtathius in Iliadé cõfirmauit, poeticam orationem, reliquis illi relictis ornamentis, liberare metro. qui uero poſtea ſucceſſerunt aliquid de poetica magnitudine perpetuo detrahentes, ex altiſſimo loco, in infimũ eã ſtatum depreſſerunt; quæ tamen non amplius poetica, & poeſis, ſed ſoluta, & pedeſtris oratio, dialogus, aut hiſtoria, fuit appellata; poeſim autem, hanc præſertim, nemo, quod ſciam, harmonia, numeroque ſuo carentem, aut ſcripſit, aut ſcribendam cenſuit. illis vero, quos antea nominaui, ſummã omnes homines omni tẽpore laudẽ in re poetica tribuerũt. Nonnulli poſtremis his temporibus, Italico, vulgarique ſermone tentarunt, ſi qua forte ratione poſſent, hanc ſcribendi pedeſtrem illuuiem in comędias & tragędias inducere, quos tamen & paucitas eorum, qui formam iſtam ſectarentur, arguit, & res ipſa non ſatis ex ſe probata, neque libenter audita, niſi mimi quidã, & ſcurræ ineptijs, & riſu, fabulam ſuſtentent, & fugientes auditores reuocent, eos refellit; ac ſatis indicat, quantum hoc genus defferat a laudato. LIMP. Cur autem tu nos coges, & in eas anguſtias adduces, vt iſtos ſequamur auctores, & hominum ſententiæ voluntatem no-

ſtram,

ſtram,& ingenij ſolertiam, habeamus addictam, quorũ pleriquc uel ſerui, uel ex ſeruis nati, uel ingenio ſaltem ſeruili fuerunt, abiecti, humiles, & liberti? an huiuſmodi quiſquiliæ præcepta ſunt nobis artium, & diſciplinarum in omne tempus daturę? fortaſſe etiam uſus, & conſuetudo temporum, & hominum illorum id ferebat, ut impune, ac ſine crimine tragædias conſcriberent. num ergo ſemper ille mos ualebit? num id poteſt nobis eripi poſteris, ut meliora tandem uideamus? PAVL. Quod pertinet ad morẽ, & uſum, Limpi, ut τὸ ὕστερον πρότερον, dicam, non is eſt, qui diſciplinas efficit, & artes: multi ſunt enim vſus, uel abuſus potius, & conſuetudines improbæ, quæ non modo conſtituere quicquam boni non poſſunt, uerum etiam deteſtandæ ſunt ab omnibus. non igitur uſus eas efficit, ſed recta ratio, ingenium, & eruditio, quas poſtea uſus non breuis, & interruptus, ſed longiſſimi temporis, & perpetuus, approbat, & retinet, non producit, & procreat. non enim ut ueſtium, & conuiuiorum, ſic rerum, quas aut ars imitatrix, aut natura magiſtra perfecit, uſus eſt moderator ac dominus. multum fere abeſt. illa namque uoluptate noſtra, parua de cauſa, leui momento, commutantur; hæc ſemel, ut decet, inſtituta, nulla poteſt occaſio, nullius arbitriũ, conuellere, & dimouere. Vſum loquendi, ait in Oratore Cicero, populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui, quæ enim non ex cauſis fortuito antegreſſis (Logici συμβεβηκότα appellant, & accidentia) ſed ex efficientia naturæ, uel ingenij naturam ſequentis, ſemel bona fuerunt, & omnium iudicio diutiſſime comprobata, non poſſunt non ſemper eſſe bona, nec uſus ullus reddiderit unquam mala, aut aliquo modo corruperit, & permutauerit. Itaq; ſemper Homerus, & Virgilius, ſemper Sophocles, admirabiles erunt, nũquam eorum gloriam uſus imminuet aliquis, & ſi conſuetudo, temporumque conuerſio, facile quaſdam potuit, poteritque ſemper, circunſtantes, & adiunctas rebus perturbare formas, & immutare. qua de re accuratiſſime in Oratore Cicero, & in poeticis ſermonibus egregie Torquatus Taſſus. Quid ais? uerſus iſti, quos tu nunc, ut non ueriſimiles exterminas, nonne erãt

illo quoq; tempore uerſus? an poſtea ab illa quadam formã uériſimili degenerarunt in iſtam? LIMP. Fuere ſemper uerſus, ſed tunc uſus eos recipiebat, & probabat, ratione præſertim inſtrumentorum, quibus utebantur. PAVL. Cur igitur, obſecro, uerſus illis temporibus a muliercula, uel a ſeruo recitati, non poterant exturbare decorum, & uériſimile, nunc ijdem poſſunt? quod non eſt ſemel uériſimile, id nunquam erit uériſimile, uel contra. ut inimicos odiſſe. uel igitur homines illi metrorum rationem, vel hanc decori iacturã non nouerant; quorum neutrum eſt veriſimile, præſertim in tanta virorum eruditiſſimorum in omni ſæculo frequentia. Vide quæſo, quam multi fuere, qui Περὶ τοῦ πρέποντος, de decoro, Περὶ ἤθους, *de moribus & perſonarum effictionibus*, Περὶ ἀληθινοῦ λόγου, *de veriſimili ſermone*, ſcripſerunt? Cicero, Hermogenes, Dionyſius, Ariſtides, Quintilianus, Demetrius Phalereus, Ariſtoteles, Plato plurimi alij; neminem ne horũ in tam magna tragędiarum, & comędiarum multitudine, ac varietate, tantum vidiſſe, verſum nimirum, in huiuſmodi poematum genere, decus aut labefactare, aut aliquantulum perturbare? hæccine tot ſęculis homines pręclariſſimos oppreſſos habuit ignorantia? Quod ſi illi tamen errauerunt, cur mihi cum illis, cum ipſa Republica Romanorum, cum Athenienſium, Thebanorum, cum tota Græcia, Aſia, Italia, cum toto terrarum orbe non licebit errare? Nunc autem rurſus, hoc mihi quæſo ediſſere Limpi. Num meminiſſe potes aliquod tempus, quando ille tragædiarum uſus fuerit ab aliquo perturbatus, atque mutatus? aut num alicubi legiſti, cum hic idem mos vel ab ipſo Theſpi ad hæc vſque ſæcula repetitus, ſiue Græcorum, ſiue Romanorum tempora percurras, fuerit aliquantulum interruptus, aut fuerit interrumpendi cuiquam iniecta cogitatio? Quibus non placuit aut eruditis, aut vulgaribus hominibus unquam, hæc ratio ſcribendi Tragædias, & Comædias, præterquam vni tatum, præteritis his diebus, Auguſtino Michaeli, cuius opinioni conſentaneum habuit eiuſdem Tragædia Cianippus exitum. Plus ducenti numerantur à Theſpi. Tragędiarum ſcri-

ptores

ptores Græci, & Latini, qui quidem omnes carmine cum ſcripſiſſent, nec vtilitatis eos vnquam, nec honoris, & gloriç pœnituit; pœnituit autem eos, qui diuerſam hac poſtrema tempeſtate ſequi rationem, & ab illis diſſentire voluerunt; contra vero ſummopere celebrantur, etiam in hac lingua vulgari, Tragædiarum, & Comædiarum, aut mixti generis ſcriptores, quos aliqquorum ſiue error, ſiue rerum nouarum cupiditas, ſiue veterum, & antiquarum deſperatio non deterruit à ſcribendo, quemadmodum ſapientes illi veteres, & ſcripſerunt, & placuerunt. Sed hoc vt vanum, & vile diſputandi genus omittamus. At humiles, ac liberti fuerunt horum Poetarum aliqui. Fuerint ſane; quid refert. fuerint contempti, fuerint non liberi. Tu igitur ſcientiam, ingenium, eloquentiam, & clarorum virorum omnem præſtantiam, non meritorum laude, ſed eorundem fortuna metiris? nos certe miſeros Marcelline, quibus non ex regibus, nec ex principibus uiris, licet honeſto loco, natis, omnem alicuius adiſcipiſcendi nominis, & famæ, ſpem fortuna præcedit, & ſi perpetuo quidem addicti ſtudijs, omnes omnium libros, & ingenia noſtra fatigemus. Non igitur clarus Homerus, cuius & patriam, & parentes, miro ſilentio natiuitatis compreſſit obſcuritas. præſtantes aũt uiri Heliogabalus, aut Nero, cõſpicuus Sardanapalus, & alij, qui çteris vitijs inquinati, ſuperbis natalibus gloriantur; quaſi vero, vt plures recentiores omittam, maiorem debeat Baptiſta Guarinus eques illuſtris, ortui, & nobilitati ſuæ, qua eſt inſigni, quam uirtutibus, & ingenio, gratiam; qui ſi tamen eſſet humillimo loco natus, eum poſſet unum ipſius elegantiſſime ſcriptum poema, qui Paſtor fidus appellatur, ab omni prorſus obſcuritate uindicare. Fuit libertus Accius. at D. Brutus, ſummus ille uir, & imperator, Accij carminibus templorum, ac monimentorum aditus exornauit ſuorum. Ennius tibi ſordet, at fuit Aphricano charus, cuius etiam in ſepulchro poſitus poſt mortem dicitur; cujus uirtuti hoc fuit Epitaphio redditum a ſuis ciuibus teſtimonium.

Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu,
Faxit. cur? volito viuu per ora virum.

Ingenio ſeruili? nollem dixiſſes, habeo enim quorum ſententiam opponam huic tuo dicto, qui tibi fortaſſe nihil in æxtimandis hominum ingenijs concederent: nec tu eos debuiſti cõtemnere, ac præter te cæteros non flocci facere, nã De Accio, & Pacuuio, audi, quæ tibi reſpondeat Quintilianus lib. 10. *Tragædiæ ſcriptores clariſsimi, grauitate ſententiarum, verborumque pondere, & auctoritate perſonarum*. Liſandrum Lacedemonium aiunt inducias Athenienſibus petentibus dediſſe, dum Sophocli mortuo, ſeruilis ingenij uiro, funera facerent. Et Siracuſani captiuos Athenienſium liberos, in Euripidis hominis non liberi gratiam, dimiſiſſe dicuntur, cuius Poetæ *ſingulos verſus ſingula teſtomonia eſſe*. M. Tullius affirmauit. nec Dionyſius Longinus tibi concedit iſtam humilitatem, qui de Pindaro, & Sophocle dixit, Ὁτὲ μὲν πάντα ὑποφλέξουσι τῇ φορᾷ. *Quandoquè omnia impetu quodam incendant, & comburunt*: Plato uero lib. de Republica 10. communem omnium cauſam ſuſcepit, atque hoc generatim omnibus, & uniuerſe tribuit encomium. *A nonnullis accepimus, tragicos poetas artes omnes intelligere, humanaque omnia tum ad virtutem, tum ad verum pertinentia, nec non & diuina; etenim oportet, ſi recte quæ componit ſit tractaturus, eorum habere ſcientiam, aut nihil poſſe componere*. Sed cur quæſo tot humana teſtimonia, producuntur? cum paulo ante diuinam, & Apollinis audiueritis uocem? Num tibi ſeruiles, & contemnenda mancipia videntur hi uiri? & indigni, quorũ exempla ſequaris? Sed ſcio: Plautũ ſcilicet annuis. non tu primus. obiectum ab alijs id ei fuit. maluiſſem ab alijs tantum, non à te. illis enim Iuſtus Lypſius, uir egregie doctus, nec molliter, nec reciſis unguibus ſcalpit caput, ac pruriginem eripit omnem, libro ſecundo epiſtolicarum quæſtionum, epiſtola 18. uideant locum, & ſua damna, cuia magis intereſt. Audi tamen, quæ leuiora. *Hæc vis, & varietas eſt in, Plauto* (quam negant in Terentio) *nunc ille adſurgit, nunc ſubmittit, nunc protrita, nunc grandiora dicit. proponit vitia, & caſti-*

gat.

gat, τὰ ἠθικὰ, καὶ πολιτικὰ, admiſcet, aliud quidẽ agens, ſed quaſi hoc vnum agens, & hæc omnia tanquam ſale, venuſtiſsimis iocis adſpergit. Sed de his nimium multa, nec ſine ſtomacho; quaſi non ſint omnium philoſophorum, omnium oratorum, ac cæterorum ſcriptorum uolumina, præclaris, & honorificis, horum poetarum teſtimonijs, uel ad ſatietatem referta. Ad alterum igitur caput, & ad ea, quæ peculiarem carminis cauſam reſpiciunt, accedamus. Qua in re probandum nobis, opinor, erit, quibuſcunque rationibus, & auctoritatibus, ex improuiſo nunc, & in hac anguſtia temporis, licebit, comicis, & Tragicis poetis non modo conuenire uerſum, ſed eſſe quoque maxime neceſſarium, nec ab eorum poematis aliqua poſſe ratione ſeparari. LIMP. Quæſo Pauline, priuſquam ulterius progrediare, paulum ſi potes, de cauſa digrediare; libenter enim audiuerim ex uobis, ecquæ ueſtra ſit de poemate illo Guarini, ſententia, cuius dudum fuit a te facta mentio? nam à multis illud acriter oppugnari uideo, laudari tamen ab alijs. mihi quidem in huiuſmodi poetis carmina refellenti, ſi ſoluta illud oratione ſcriptum eſſet, ualde mehercle probaretur. PAVL. Id extra cauſam, & ſuſceptam contentionem eſt, Limpi, à qua, cum plura ſint adhuc dicenda, parũ fortaſſe nobis eſt otij: conceditur autem unicuique poteſtas explicandi quocunque modo, quantum is ualeat ingenio. audax eſt enim animus noſter, & in eo contentionis inſita cupiditas ac ſtimulus quidam quaſi uicendi. uerum ſi modeſtius id fiat, & urbane, laudabunt omnes fortaſſe uel ficta, ſin ſecus, nec amici quidem uera. MARCEL. Populi iudicium hac in re (cum populum dico, non plebem, & fæcem urbis dico, nam hanc populi nomine indignam putauit Cicero, ſed ciuilem populum, & cuiuſdam elegantioris iudicij non expertem) huiuſmodi, inquam, populi iudicium plurimũ in theatris omni tẽpore ualuit. Nõ eſt hęc profecto ſubtilis, & exquiſita ratio, aut dialecticorum more concludens, ſed in re populari, popularis & probabilis. Quinquies, aut ſexies etiam, eſt acta illa fabula, Venetijs, & in pluribus Italiæ magnis urbibus, & nunquam non eſt recepta plauſu magno

nunquam non acclamatum ab omnibus, nunquam non illud adfuit, Euge pulchre, & belle: idque ſæpe. hoc autem cuique poetæ multum eſſe debet ad eum, quem ſibi propoſuit, finem. erat enim huiuſmodi poetarum ſcopus, ac finis quidam externus, populo ut placerent, quas feciſſent fabulas: quod qui plene conſequitur, ut placeat quamplurimis, & ſi difficile ſatis eſt, nihil offendere, nuſquam incurrere, is profecto rectiſſime ſecum actum, & ſe magnum aliquid adeptũ, exiſtimare poteſt. hoc enim teſtimonium uniuerſi populi multum valere cenſebant, inquit Lipſius, in utramque partem: & Apollonius Rhodius illuſtris poeta huiuſmodi iudicio perterritus, quod ſemel non ſatisfeciſſet, abijt è patria, Rhodumque ſe contulit, ibique multo tempore reiectum poema perpoliuit, quod poſtea placuit. PAVL. Eſt hoc certe magnum, ſed non ſatis. Verum ad ea, quæ cæperamus obſecro, ne tempus hoc in rebus minime nunc neceſſarijs conteramus. SCAR. Age iam, declaratis inſtitutis, ac longa, laudataque poetarum omnium conſuetudine ſcribendi, propius velim ad auctoritates, ſi quas habes, ad rationes, & argumenta validiora, te conferas. PAVL. Primum auctorem Ariſtotelem profero, quem oſtendo Comædiæ, ac Tragædiæ verſum, vt inſtrumentum proprium, aſſignaſſe perpetuo, ſolutam orationem, nunquam. SCAR. Si te Ψιλοῖς, illis Λόγοις, ſeu *nudis ſermonibus*, implicaueris, profecto nunquam te ex illis hodie pinnis expedies. hærent enim ibi penè omnes. LIMP. Hic ego vos iamdudum expecto. neque enim te mihi Pauline doctiſſime, nec alium quenquã probaturum arbitror, ibi nudos ſermones non ad ſolutam orationem eſſe referendos, aut aliam fuiſſe Philoſophi in eo loco ſententiam. PAVL. Audiui te ſæpe hac de re, Limpi, diſputantem, & quidem ſubtiliter admodum, & erudite. Sed ne te cõpares. nolo enim te iam laborare, nihil eſt, quod eadem de re mecum hodie diſputes. Scio equidem quid ſenſerint eruditi. multa ſunt ab illis in hanc rem diſputata ſubtilius, & concluſa. Aſſentitur tibi Franciſcus Patricius in ſua Poetica, verum hac tantum in parte, quæ nudos ſermones

attingit, quod vero pertinet ad verſum tragicum, & comicũ, omnino te deſerit, & cũ poetis antiquis conſentit. aduerſatur tibi Caſteluetrus, ſed inprimis Plato, qui ſecundo de legibus lib. ait, λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες. *Separant* inquit *poetę rhythmum, & figuras à concentu, ſermones nudos* (ab illis rhythmis, & figuris) *in verſu ponentes*; ſed circulum abſoluit omnẽ Iacobus Mazonius, vir eruditiſſimus, qui nudos ſermones intellexit, ſolos verſus, nudos nimirum ab alijs inſtrumentis, rhythmo, inquam, & motu, ſeu figura, quod ex eodem Platonis loco deſumpſit. id vero adeo cumulate demonſtrauit, vt nullus ſit relictus dubitationi locus. Verum, vt dixi, libero iam iſta te cura. contemnamus hos omnes, qui nudos ſermones malunt ad verſum, quam ad ſolutam orationem referre. itaque diuiſerit Ariſtoteles Epopęiam, veluti genus quoddam, ut tibi placet, & ego aſſentior, in orationem ſolutam, & carminum uinculis aſtrictam, ac ceſſet ea ratione omnis, quę futura fuerat inter nos hac de re diſputatio. nihil hoc me mouet, nihil impedit, quo minus ad id, quod uolo, & unde tu me excludis, perueniam, & oſtendam, uerſus non modo non eripuiſſe, ſed præcepiſſe comicis, & tragicis, Ariſtotelem. Etenim poſt iſtam Epopæiæ diuiſionem, omiſſa prorſus altera diuiſionis parte, quæ ad ſolutum, & pedeſtrem ſermonem ſpectaret, de quo mirum in tota poetica ſilentium, ad Tragędiam primo, deinceps ad poeticam, & metricam Epopæiam, accedens, ſemper & ubique uerſum ipſis attribuit, de ſoluta ne uerbum quidem vnquam. Id ſi tu fortaſſe neges, & ſi non eſſet hoc tuæ modeſtiæ negare, ſingula philoſophi loca, non quidem omnia, putidum enim eſſet, & valde moleſtum, ſed pauca tantum, & ea quæ nunc ex tempore mihi venient in mentem, perpendam. Primum, enumeratis Ariſtoteles omnibus, quæ ſub imitationem veluti ſub commune quoddam genus cadunt ipſius poeticæ partibus, tres deinceps affert earum inter ſe differentias; quarum prima eſt, quod & ſi omnes omnibus vtantur ijſdem inſtrumentis (Τοῖς αὐτοῖς, appellat ipſe) rhythmo, cãtu, & metro, vt dithyrambica, leges, Tragædia, & Comædia, in eo tamen differant, quod aliæ omni-

bus

bus inſtrumentis ſimul utantur, aliæ ſeparatim, & ex parte. Vides hic Tragædiam, & Comędiam habere commune cum alijs poeſis partibus metrum, & alia inſtrumenta, differre tamen ab eis, quia Tragædia ſeparatim inſtrumentis utatur, & partite, κᾶτὰ μέρος, nunc hoc, nunc illo. Aliquas inquit eſſe poeſis ſpecies, quas etiam nominat, & numerat, Dithyrambicam, legum, Tragædiam, & Comædiam, & eas tribus uti potiſſimum inſtrumentis, quæ ſint ipſis omnibus communia, rhythmo, harmonia, metro. uerum utendi tempora tantum eſſe diſſimilia, ſiquidem aliæ ſimul omnibus, aliæ non ſimul utantur. Tragædia enim, & Comædia ſeparatim. Patiturne rerum natura Limpi, ut ſit aliqua Tragædia, quæ metrum, rhythmum & cantum ſibi poſcat, oratione ſoluta ſcripta? nouum, & ante hoc tempus inauditum poematis genus, ignotum Aphricæ, uel potius uniuerſæ naturæ monſtrum, Tragædiam pedeſtrem carmine compoſitam. Alteram deinde differentiam affert, inquiens, Et ſi communia ſint ijſdem inſtrumenta, communis etiam, & eadem materia (Ἐν τοῖς αὐτοῖς, ℭ τὰ αὐτὰ, dicit ipſe) differre tamen, modo, Τῷ ὡς. nam aut interdum ipſe poeta loquitur, aut nunquam, cuius in modo tantum diſſimilitudinis, alteram ad Epicum, ut Homerum, alteram ad Tragicum, & comicum, ut Sophoclem, & Ariſtophanem, pertinere. itaque inquit, *ex parte idem eſt imitator cum Homero Sophocles, quia bonos imitatur, ex altera parte idē cum Sophocle, quod agentes*, Quid apertius? Sophocles eſt idē imitator cum Homero. quamobrem idem? quia cum eum Ἐπαγγελία, narrandi modo tantum ab illo differre dixiſſet, in reliquis eſſe ſimiles ait, in materia, & in uerſu. Ἐν τοῖς αὐτοῖς, ℭ τὰ αὐτὰ. Eadem eſt de Ariſtophane ratio, quocum Sophocli conuenire dicit, non in materia, quod alter bonos, alter malos, ſed in modo item, & uerſu. Quos igitur poetas Ariſtoteles ad Comicę, ac Tragicæ imitationis exemplum aſſumpſit, & quorum nullum diſcrimen poſuit in metro, ut in cæteris, eos recte metro Comædias, & Tragædias ſcripſiſſe ſtatuit, & cæteris ad imitandum propoſuit. Sed proſequamur. Poeticæ cauſas inſitas, & naturalem originem, inueſti-

gans ille philoſophus, duas tandem ipſius innatas cauſas aſſequutus eſt, imitandi ſtudium, & harmoniam, atque rhythmum, à rhythmo metrum ſeparatum non eſſe aſſerens; quod etiam libro tertio artis rhetoricæ confirmauit, metrum eſſe rhythmi partem declarans, & Hermogenes etiam aſſeruit in principio libri de formis, & in Perſpicuitate, una cum Pſellio. *Hinc igitur*, inquit, *profecti homines, & his naturæ initijs excitati, poeticam paulatim promoue-runt, & auxerunt*. Ex quo patet unicuique, neque Tragędiam, neq; Comædiam, Ariſtotelis ſententia, uel imitatione poſſe, vel verſu priuari, quandoquidem huius poeſis primordia, & procreationis initium, imitatio, & metrum, menti, naturæque noſtræ cognatum, edidit & protulit. quanam ergo ratione tu metrum extorqueas illi, quæ ſimul cum metro nata eſt, metrorum educata nutrimentis, nec ſine metro ſuarū recepit incrementa laudum? quonammodo rhythmum, & cantum reliqueris illi, cui dempſeris metrum, cum neque rhythmus, neque cantus eſſe ſine menſura poſſit? num tibi quicquam videtur ad minimum tempus poſſe, ſublato fundamento, conſiſtere? Cur ergo non æquo iure nobiſcum agitur? aut cur non eadem vtriſque facultas? ex duobus poeticæ primis parentibus, eiuſque naturæ principijs, ſi tibi licet auferre alterum, nempe metrum, cur mihi non licebit alterum, imitationem? Cur tibi maior euertendi naturam erit auctoritas, quam mihi? quam cuiuis? en alterum tibi monſtrū. poemata naſcentur abſque parentibus, imitatione ſcilicet, & verſu. verum id mihi non arrogo. Tu vero quis es, qui naturam doceas, & eius initia conculces, & labefactes? Sed ad propinquiora progrediamur. quæ enim hucuſque diximus, ea ſunt omni poemati communia, neque cuiuſq; præcipua. Deinceps vero ſolius tragædiæ propria ſe nobis offerunt exquirenda. Eam igitur definiens Ariſtoteles, inquit *eſſe, Imitationem actionis probæ, ac perfectæ, magnitudinem habentis, ſermone ad ſuauitatem compoſito, ſeorſim vnaquaque ſpetie in partibus agente:* & quæ ſequuntur. Huius porro definitionis, cęteris neglectis particulis, vt ad rem, de qua nunc agitur,

haud-

haudquaquam accommodatis, illud iam videamus, quid ſibi velint illa verba, *Ἡδυσμένῳ λόγῳ*, *ſermone ad ſuauitatem effictο*: id vero difficile nequaquam erit intelligere, cum ſuam, idem ipſe ſibi interpres Ariſtoteles, mentem, ac ſententiam expoſuerit, inquit enim. *Λέγω δὲ ἡδυσμένον μὲν λόγον, τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν, καὶ ἁρμονίαν, καὶ μέλος*, *dico ſuauem quidem ſermonem, eum qui habeat rhythmum, harmoniam, & cõcentum*. at in rhythmo comprehenditur, ex eiuſdem, & omnium ſententia, metrũ; metrum igitur in definitione continetur. Et quoniam dixerat, *vnaquaque ſpetie ſeparatim*, id quoque declarat; *Τῷ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι*. *Solo verſu dicit aliqua abſolui in ipſa tragædia*, tunc ſcilicet, cum inſtrumenta reliqua conquieſcunt. Num poterat illuſtrius à philoſopho ſignificari nobis, Tragædiam eſſe verſu ſcribendam? num apertius, quam aſſumpto in eius definitione, quæ naturam & vim ipſius exprimit, & rhythmo, & cæteris ſuauitatis inſtrumentis, ita tamen, vt eam aliquando dicat vti ſolo metro, ſeparatim & reliquis? Et inferius aliquanto, cum ſex Tragædiæ partes enumeraſſet, & inter eas, Dictionem, hanc poſtremam, vt melius ſua ſententia percipiatur, ac ne videatur, vt ſępe ſolet, obſcure loqui, manifeſtioribus, quam vnquam alibi verbis, explicat, inquiens, *Dico dictionem ipſam, verſuum compoſitionem*. Quid ais? ſatisne tibi videtur hoc in loco philoſophus aperte locutus, ac ſibi conſuetam obſcuritatem prorſus oblitus? an ad huc expectas, dum Ariſtoteles ipſe reuiuiſcat, & voce, quando verbis non credis, ad hanc te ſententiam excitet, atque tragicum tibi verſum in aures tandem, vel inuito, inſerat? Audiſtine, metrum, ac metricam orationem eſſe partem Tragædiæ? pars à ſuo toto ſeparari qui poteſt? in naturam ergo ingreditur Tragædiæ metrum. Quoniam autem in principio nihil eſſe poteſt uſquequaque perfectum, & adeo limatum, ut nihil præterea poſſit accedere, cum omnes artes, & diſciplinæ fiant acceſſione meliores; hac de cauſa temporis progreſſu multæ mutationes factæ fuerunt in Tragædia; quod commemorat in poetica Ariſtoteles, inquiens, *Tragædia multas mutationes nacta, tandem ſuam eſt conſequuta naturam*. Audis?

dis? perfectiſſimum eſt illud, quod in ſua natura conſtitit; nihil enim amplius requirit, nihil in eo deſideratur. ad ſummā ergo perfectionem redacta Tragędia fuerat, aliquibus rebus immutatis, manente ſemper uerſu, tantum ex tetrametro, iābicum recepit, quod ipſa item natura, inquit Ariſtoteles, ſibi delegit, Αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε. *Ipſa natura proprium ſibi metrum in Tragædia reperit.* Quid opus eſt uerbis Limpi? uides te non poſſe, tota reclamante natura, metrum eripere Tragædiæ? non ipſi poetæ morem hunc, vt ais, induxerunt, nec facultatem ipſi nobis eripuerunt poſteris, videndi meliora, ſed ipſa natura, quæ poteſt omnia, hunc vſum præſcripſit, effecitque ne meliora videre poſſit ætas futura. Præterea, cum Tragædiæ conſtitutionem, eam, quæ pulcherrima ſit, nos doceret idem Ariſtoteles, præter cæteras optimæ conſtitutionis conditiones, eam plurimum laudat, vt ex celeberrimis familijs eruantur argumenta, non vt quidam poetę, qui vagam, & qualemcunque ſuo modo ſibi ſumpſere fabulę materiam. quare præſtantiores eſſe Tragædias affirmat eas, *quæ circa Alchmæonem verſantur, & Oedipum, & Oreſtem, Thyeſtē, & Telephum.* Qui poteſt igitur is philoſophus Tragædias carmine conſcriptas reprehendere, & ad orationem ſolutam redigere, qui Alchmæonem, & Oedipum, & alias ante commemoratas fabulas, optimas eſſe ſtatuit, & optime conſtitutas? & cum probatæ Tragædiæ virtutes, non bonæ vitia notaret omnia, verſum & tacite, & aperte, non modo laudauit, ſed etiam neceſſarium eſſe, atque Tragædijs innatum, decreuit, orationem vero pedeſtrem ne circuitione quidem, aut recte nominauit vnquam? LIMP. Fateor equidem Pauline, nullam hoc loco ſoluti ſermonis eſſe commemorationem, verum nec in Tragædijs illis, Alchmæone, & reliquis, vllam videmus ibi fieri carminis mentionem. quare non magis tua ratio liberam orationem, quam nexam, & colligatam excludit. PAVL. Recte tu quidem dubitares Limpi, niſi quas hic Ariſtoteles Tragędias nominat, Oedipus Sophoclis eſſet, Oreſtes Euripidis, Thyeſtes Aeſchyli: quæ quidem Tragædiæ pulcherrimis, & ſuauiſſimis explicatę uerſibus, adhuc

extant. Deinde in illis ipſis verbis laudat apprime philoſophus Euripidem, appellatque Τραγικώτατον τῶν ποιητῶν; *omnium poetarum maxime Tragicum*. & cùm in eo diſtributionem quandam non uſquequaque probet, quod uerſu tamē ſcripſerit, ne minima ſuſpicione quidem eum increpat: quod profecto feciſſet, ſi nec id probaſſet. Si igitur Euripides, qui carmine Tragædias dedit, eſt omnium poetarum maxime Tragicus, hinc iure ſequi uidetur, Tragædiam uerſu ſcriptā, eſſe poſſe maxime tragicam. Deinceps autem ait, *eſſe melioris poetæ partes, ex ipſa fabulæ conſtitutione terrorem incutere, atque rebus ipſis, quæ contingunt, eam vim attribuere, vt homines horreant, timeant, miſereantur: quod quidem*, inquit, *patietur is; qui Oedipum fabulam audiet*. Hæc autem fabula nota omnibus eſt, & eius auctorem habemus Sophoclem. Cum igitur pulcherrimas Tragædias, & ut ars expoſtulat, efficere nos doceat, ad quarum exempla Tragædias, uerſibus exaratas commemoret, quis hoc loco dubitet, quin huiuſmodi compoſitio laudetur à philoſopho, quam uerſus exornat?

Poſtremo, ne uos diutius in Ariſtotelis arte poetica detineam, quod quidem eſſet admodum facile, propter nimiam argumentorum copiam, quam poſſet ea tractatio nobis ad hanc rem ſuppeditare, plurimis alijs omiſſis rationibus, utar eo loco tantum, in quo Tragædiam Ariſtoteles cum Epopæia comparat. eſt enim egregie illuſtris. SCAR. Obſeruaui equidem aliquanto locum illum, quem dicis, atque ſi ſatis memoria teneo, notaui quoque: & huic opinioni tuæ, Pauline, magnopere fauet. LIMP. Audiamus, fortaſſe nihil oberit. PAVL. Comparans Ariſtoteles hæc duo inter ſe poematum genera, ſic ait. *Omnia quæcunque inſunt in Epopæia, eadem prorſus habet & Tragædia; non autem contra*. Cum ergo quæ poſſidet Epopæia, prorſus eadem ſibi Tragædia uindicet, non poteſt ea ratione Tragædia non ſuo iure ſibi uendicare uerſum. Secus enim eadem & habere, & non habere diceretur idem. Si, quæ ſunt illius, ad hanc transferendā ſint omnia, non poteſt Epopæia uerſum huic, uel quidpiam aliud negare, quin illi diem continuo dicat Ariſtoteles, & furti litē

inten-

intēdat. qua quidē in ſimilitudine, ac ſocietate rerū illa diſſimilitudo tamen intercedit, & varietas, quòd illa quam maxime longius produci, & immoderatius excurrere, nulla certa, definitaque mole, poteſt, hęc vero breuior ſit oportet, & cōtractior, intra terminos, & cancellos cōſtituta, extra quos egredi minime licet. hæc vna diuerſitas. altera, (omitto nunc ἐπαγγελίαν, de qua ſuperius dixi) quod epopæiæ carmē congruit hexametrum dactilicum catalecticum, & reliquæ ſpecies hexametri, quas duas & triginta Grammatici numerarunt. Tragædiæ (& ſi poſſet Hexametro vti) iambica ſunt aptiora, trimetrum acatalecticum tetrametrum. qua cauſa? quia *iambicum, & tetrametrum*, inquit Ariſtoteles, *ſunt uel ad actionem, uel ad motum corporis, & ſaltationem, accōmodatiora.* Hermogenes in forma incitatæ orationis, rhythmum Trochaicum uehementer probat in aliqua parte tragædiæ, cum is, qui loquitur, incitatior ob aliquam perturbationem, videri debet. & huius rei teſte vtitur Menandro Comico poeta, & Archilocho. Καὶ τούτου τεκμήρια ἐναργῆ, πολλὰ καὶ τῆς τραγῳδίας, ἔνθα ἐπείγεσθαι ὁ λέγων δοκεῖ, τροχαϊκῶς συντεθέντα. tetrametri enim aliquando trochaice componuntur, ut currentior fiat oratio, ac ſolutam orationem magis referat. Hæc igitur ſunt ex Ariſtotelis collecta doctrina, quam non debemus, ne ſophiſtas imitemur, uel ut obſcuram inflectere, uel ut falſam refellere. Quare, niſi quid habes amiciſſime Limpi, quod his opponas, ad alios auctores me conferam, qui & ipſi hac de re ſententiam protulere ſuam, non quidem conſulto, quaſi cogitatam, & meditatam hanc afferentes quæſtionem, de qua nemo dubitaret, ſed caſu quodam in huiuſmodi ſermonem incidentes. LIMP. Equidem, vt uerum fatear, non ſatis uideo, quid ad iſta reſponderi commode poſſit, aut cur alijs indigeamus auctoribus, ita ſubtiliter a te ſunt ex illo fonte deducta, & exhauſta, atq; manifeſte nobis commoſtrata. Verum adhæſeram illi ego ſententiæ, non vt Ariſtoteli repugnarem, ſed potius ut opinionem, quæ noua eſſet, nec ignobiles auctores haberet, non omnino deſererem: noſti, credo, quam mihi noua placeant omnia. denique cu-

titudine priuare. itaque vel ad ineptias,& abſurdam ſententiam abibis, vel antiquiſſimo poemati nomen etiam erit ſimul cum natura mutandum. Præterea, ex omnibus, qui a primis horum poematum incunabulis, primaque conſtitutione, tragædias,& Comędias, ad ætatem vſque noſtram, accurate, & cum laude ſcripſerunt, neminem vnquam vidimus, qui uerſus contemnere, ac ſolutam orationem in vllum admittere poematis genus auderet. Euripidis, Aeſchyli, Sophoclis Ariſtophanis, Epicharmi, plurimorum Græcorum, venerandum adhuc,& immortale nomen. Ennio, Pacuuio, Accio, Plauto, Terentio, Seneca, nihil inter Latinos glorioſius. carmine ſcripſerũt omnes; in quibus & ſi nonnulla ſint a diuerſis aliquando ſubtiliter,& putidius etiam notata, nullus omnino fuit vnquam, qui vitio id eis verteret, ac pedeſtri ſermone melius,& opportunius, eos ſcripturos fuiſſe, diceret. Auſi ſunt aliquando Pherecides, & Ecatæus, vt Strabo Gæographus aſſerit, & Euſtathius in Iliade cõfirmauit, poeticam orationem, reliquis illi relictis ornamentis, liberare metro. qui uero poſtea ſucceſſerunt aliquid de poetica magnitudine perpetuo detrahentes, ex altiſſimo loco, in infimũ eã ſtatum depreſſerunt; quæ tamen non amplius poetica, & poeſis, ſed ſoluta,& pedeſtris oratio, dialogus, aut hiſtoria, fuit appellata; poeſim autem, hanc præſertim, nemo, quod ſciam, harmonia, numeroque ſuo carentem, aut ſcripſit, aut ſcribendam cenſuit. illis vero, quos antea nominaui, ſummã omnes homines omni tẽpore laudẽ in re poetica tribuerũt. Nonnulli poſtremis his temporibus, Italico, vulgarique ſermone tentarunt, ſi qua forte ratione poſſent, hanc ſcribendi pedeſtrem illuuiem in comędias & tragędias inducere, quos tamen & paucitas eorum, qui formam iſtam ſectarentur, arguit,& res ipſa non ſatis ex ſe probata, neque libenter audita, niſi mimi quidã,& ſcurræ ineptijs,& riſu, fabulam ſuſtentent,& fugientes auditores reuocent, eos refellit; ac ſatis indicat, quantum hoc genus defferat a laudato. LIMP. Cur autem tu nos coges,& in eas anguſtias adduces, vt iſtos ſequamur auctores, & hominum ſententiæ voluntatem no-

am,& ingenij ſolertiam,habeamus addictam, quorũ pleque uel ſerui, uel ex ſeruis nati, uel ingenio ſaltem ſeruili erunt,abiecti,humiles, & liberti?an huiuſmodi quiſquiliæ ræcepta ſunt nobis artium, & diſciplinarum in omne temus daturę? fortaſſe etiam uſus, & conſuetudo temporum, hominum illorum id ferebat, ut impune, ac ſine crimine agædias conſcriberent.num ergo ſemper ille mos ualebit? um id poteſt nobis eripi poſteris,ut meliora tandem uidea nus? PAVL. Quod pertinet ad morē, & uſum,Limpi,ut τὸ ςερον πρότερον, dicam,non is eſt,qui diſciplinas efficit,& artes:multi ſunt enim vſus,uel abuſus potius,& conſuetudines nprobæ, quæ non modo conſtituere quicquam boni non oſſunt,uerum etiam deteſtandæ ſunt ab omnibus. non igiur uſus eas efficit,ſed recta ratio,ingenium,& eruditio,quas oſtea uſus non breuis,& interruptus,ſed longiſſimi temporis,& perpetuus,approbat,& retinet,non producit, & procreat.non enim ut ueſtium,& conuiuiorum,ſic rerum,quas aut ars imitatrix,aut natura magiſtra perfecit,uſus eſt moderator ac dominus.multum fere abeſt.illa namque uoluptate noſtra,parua de cauſa,leui momento,commutantur;hæc ſemel,ut decet,inſtituta,nulla poteſt occaſio, nullius arbitriũ, conuellere,& dimouere.Vſum loquendi,ait in Oratore Cicero,populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui, quæ enim non ex cauſis fortuito antegreſſis(Logici συμβεβηκότα appellant,& accidentia)ſed ex efficientia naturæ,uel ingenij naturam ſequentis,ſemel bona fuerunt,& omnium iudicio diutiſſime comprobata,non poſſunt non ſemper eſſe bona, nec uſus ullus reddiderit unquam mala,aut aliquo modo corruperit,& permutauerit.Itaq; ſemper Homerus, & Virgilius, ſemper Sophocles, admirabiles erunt, nũquam eorum gloriam uſus imminuet aliquis, & ſi conſuetudo, temporumque conuerſio,facile quaſdam potuit,poteritque ſemper,circunſtantes,& adiunctas rebus perturbare formas,& immutare.qua de re accuratiſſime in Oratore Cicero, & in poeticis ſermonibus egregie Torquatus Taſſus. Quid ais? uerſus

illo quoq; tempore uerſus? an poſtea ab illa quadam formã uerisimili degenerarunt in iſtam? LIMP. Fuere ſemper uerſus, ſed tunc uſus eos recipiebat, & probabat, ratione præſertim inſtrumentorum, quibus utebantur. PAVL. Cur igitur, obſecro, uerſus illis temporibus a mulier cula, uel a ſeruo recitati, non poterant exturbare decorum, & uerisimile, nunc ijdem poſſunt? quod non eſt ſemel uerisimile, id nunquam erit uerisimile, uel contra. ut inimicos odiſse. uel igitur homines illi metrorum rationem, vel hanc decori iacturã non nouerant; quorum neutrum eſt verisimile, præſertim in tanta virorum eruditiſſimorum in omni ſæculo frequentia. Vide quæſo, quam multi fuere, qui Περὶ τοῦ πρέποντος, de decoro, Περὶ ἤθους, *de moribus & perſonarum effictionibus*, Περὶ ἀληθινοῦ λόγου, *de verisimili ſermone*, ſcripſerunt? Cicero, Hermogenes, Dionyſius, Ariſtides, Quintilianus, Demetrius Phalereus, Ariſtoteles, Plato plurimi alij; neminem ne horũ in tam magna tragediarum, & comediarum multitudine, ac varietate, tantum vidiſſe, verſum nimirum, in huiuſmodi poematum genere, decus aut labefactare, aut aliquantulum perturbare? hæccine tot ſeculis homines preclariſſimos oppreſſos habuit ignorantia? Quod ſi illi tamen errauerunt, cur mihi cum illis, cum ipſa Republica Romanorum, cum Athenienſium, Thebanorum, cum tota Græcia, Aſia, Italia, cum toto terrarum orbe non licebit errare? Nunc autem rurſus, hoc mihi quæſo ediſſere Limpi. Num meminiſſe potes aliquod tempus, quando ille tragædiarum uſus fuerit ab aliquo perturbatus, atque mutatus? aut num alicubi legiſti, cum hic idem mos vel ab ipſo Theſpi ad hæc vſque ſæcula repetitus, ſiue Græcorum, ſiue Romanorum tempora percurras, fuerit aliquantulum interruptus, aut fuerit interrumpendi cuiquam iniecta cogitatio? Quibus non placuit, aut eruditis, aut vulgaribus hominibus unquam, hæc ratio ſcribendi Tragædias, & Comædias, præterquam vni tatum, præteritis his diebus, Auguſtino Michaeli, cuius opinioni conſentaneum habuit eiuſdem Tragædia Cianippus exitum. Plus ducenti numerantur à Theſpi. Tragediarum ſcri-

tores Græci, & Latini, qui quidem omnes carmine cum ſcripſiſſent, nec vtilitatis eos vnquam, nec honoris, & gloriæ pœnituit; pœnituit autem eos, qui diuerſam hac poſtrema tempeſtate ſequi rationem, & ab illis diſſentire voluerunt; contra vero ſummopere celebrantur, etiam in hac lingua vulgari, Tragædiarum, & Comædiarum, aut mixti generis ſcriptores, quos aliquorum ſiue error, ſiue rerum nouarum cupiditas, ſiue veterum, & antiquarum deſperatio non deterruit à ſcribendo, quemadmodum ſapientes illi veteres, & ſcripſerunt, & placuerunt. Sed hoc vt vanum, & vile diſputandi genus omittamus. At humiles, ac liberti fuerunt horum Poetarum aliqui. Fuerint ſane; quid refert. fuerint contempti, fuerint non liberi. Tu igitur ſcientiam, ingenium, eloquentiam, & clarorum virorum omnem præſtantiam, non meritorum laude, ſed eorundem fortuna metiris? nos certe miſeros Marcelline, quibus non ex regibus, nec ex principibus uiris, licet honeſto loco, natis, omnem alicuius adiſcipiſcendi nominis, & famæ, ſpem fortuna præcedit, & ſi perpetuo quidem addicti ſtudijs, omnes omnium libros, & ingenia noſtra fatigemus. Non igitur clarus Homerus, cuius & patriam, & parentes, miro ſilentio natiuitatis compreſſit obſcuritas. præſtantes aũt uiri Heliogabalus, aut Nero, cõſpicuus Sardanapalus, & alij, qui cęteris vitijs inquinati, ſuperbis natalibus gloriantur; quaſi vero, vt plures recentiores omittam, maiorem debeat Baptiſta Guarinus eques illuſtris, ortui, & nobilitati ſuæ, qua eſt inſigni, quam uirtutibus, & ingenio, gratiam; qui ſi tamen eſſet humillimo loco natus, eum poſſet unum ipſius elegantiſſime ſcriptum poema, qui Paſtor fidus appellatur, ab omni prorſus obſcuritate uindicare. Fuit libertus Accius. at D. Brutus, ſummus ille uir, & imperator, Accij carminibus templorum, ac monimentorum aditus exornauit ſuorum. Ennius tibi ſordet, at fuit Aphricano charus, cuius etiam in ſepulchro poſitus poſt mortem dicitur; cujus uirtuti hoc fuit Epitaphio redditum a ſuis ciuibus teſtimonium.

Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu,
Faxit. cur? volito viuu per ora virum.

Ingenio ſeruili? nollem dixiſſes, habeo enim quorum ſententiam opponam huic tuo dicto, qui tibi fortaſſe nihil in æxtimandis hominum ingenijs concederent: nec tu eos debuiſti cõtemnere, ac præter te cæteros non flocci facere. nã De Accio, & Pacuuio, audi, quæ tibi reſpondeat Quintilianus lib. 10. *Tragœdiæ ſcriptores clariſsimi, grauitate ſententiarum, verborumque pondere, & auctoritate perſonarum.* Liſandrum Lacedemonium aiunt inducias Athenienſibus petentibus dediſſe, dum Sophocli mortuo, ſeruilis ingenij uiro, funera facerent. Et Siracuſani captiuos Athenienſium liberos, in Euripidis hominis non liberi gratiam, dimiſiſſe dicuntur, cuius Poetæ *ſingulos verſus ſingula teſtomonia eſse*. M. Tullius affirmauit. nec Dionyſius Longinus tibi concedit iſtam humilitatem, qui de Pindaro, & Sophocle dixit, Ὁ τὰ μὲν πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ. *Quandoque omnia impetu quodam incendant, & comburunt*: Plato uero lib. de Republica 10. communem omnium cauſam ſuſcepit, atque hoc generatim omnibus, & uniuerſe tribuit encomium. *A nonnullis accepimus, tragicos poetas artes omnes intelligere, humanaque omnia tum ad virtutem, tum ad verum pertinentia, nec non & diuina; etenim oportet, ſi recte quæ componit ſit tractaturus, eorum habere ſcientiam, aut nihil poſſe componere.* Sed cur quæſo tot humana teſtimonia, producuntur? cum paulo ante diuinam, & Apollinis audiueritis uocem? Num tibi ſeruiles, & contemnenda mancipia videntur hi uiri? & indigni, quorũ exempla ſequaris? Sed ſcio: Plautũ ſcilicet annuis. non tu primus. obiectum ab alijs id ei fuit. maluiſſem ab alijs tantum, non à te. illis enim Iuſtus Lypſius, uir egregie doctus, nec molliter, nec reciſis unguibus ſcalpit caput, ac pruriginem eripit omnem, libro ſecundo epiſtolicarum quæſtionum, epiſtola 18. uideant locum, & ſua damna, cuia magis intereſt. Audi tamen, quæ leuiora. *Hæc vis, & varietas eſt in, Plauto* (quam negant in Terentio) *nunc ille adſurgit, nunc ſubmittit, nunc protrita, nunc grandiora dicit. proponit vitia, & caſtigat.*

et, τὰ ἠθικὰ, καὶ πολιτικὰ, admiſcet, aliud quidē agens, ſed quaſi oc vnum agens, & hæc omnia tanquam ſale, venuſtiſsimis iocis dſpergit. Sed de his nimium multa, nec ſine ſtomacho; quaſi on ſint omnium philoſophorum, omnium oratorum, ac æterorum ſcriptorum uolumina, præclaris, & honorificis, orum poetarum teſtimonijs, uel ad ſatietatem referta. Ad lterum igitur caput, & ad ea, quæ peculiarem carminis cau am reſpiciunt, accedamus. Qua in re probandum nobis, pinor, erit, quibuſcunque rationibus, & auctoritatibus, ex mprouiſo nunc, & in hac anguſtia temporis, licebit, comi cis, & Tragicis poetis non modo conuenire uerſum, ſed eſſe quoque maxime neceſſarium, nec ab eorum poematis aliqua poſſe ratione ſeparari. LIMP. Quæſo Pauline, priuſquam ulterius progrediare, paulum ſi potes, de cauſa digrediare; libenter enim audiuerim ex uobis, ecquæ ueſtra ſit de poemate illo Guarini, ſententia, cuius dudum fuit a te facta mentio? nam à multis illud acriter oppugnari uideo, laudari tamen ab alijs. mihi quidem in huiuſmodi poetis carmina refellenti, ſi ſoluta illud oratione ſcriptum eſſet, ualde meher cle probaretur. PAVL. Id extra cauſam, & ſuſceptam con tentionem eſt, Limpi, à qua, cum plura ſint adhuc dicenda parum fortaſſe nobis eſt otij: conceditur autem unicuique poteſtas explicandi quocunque modo, quantum is ualeat ingenio. audax eſt enim animus noſter, & in eo contentionis inſita cupiditas ac ſtimulus quidam quaſi uicendi. uerum ſi modeſtius id fiat, & urbane, laudabunt omnes fortaſſe uel ficta, ſin ſecus, nec amici quidem uera. MARCEL. Populi iudicium hac in re (cum populum dico, non plebem, & fæcem urbis dico, nam hanc populi nomine indignam putauit Cicero, ſed ciuilem populum, & cuiuſdam elegantioris iudi cij non expertem) huiuſmodi, inquam, populi iudicium plu rimū in theatris omni tēpore ualuit. Nō eſt hęc profecto ſub tilis, & exquiſita ratio, aut dialecticorum more concludens, ſed in re populari, popularis & probabilis. Quinquies, aut ſexies etiam, eſt acta illa fabula, Venetijs, & in pluribus Italiæ magnis urbibus, & nunquam non eſt recepta plauſu magno

nunquam non acclamatum ab omnibus, nunquam non illud adfuit, Euge pulchre, & belle: idque ſæpe. hoc autem cuique poetæ multum eſſe debet ad eum, quem ſibi propoſuit, finem. erat enim huiuſmodi poetarum ſcopus, ac finis quidam externus, populo ut placerent, quas feciſſent fabulas: quod qui plene conſequitur, ut placeat quamplurimis, & ſi difficile ſatis eſt, nihil offendere, nuſquam incurrere, is profecto rectiſſime ſecum actum, & ſe magnum aliquid adeptũ, exiſtimare poteſt. hoc enim teſtimonium uniuerſi populi multum valere cenſebant, inquit Lipſius, in utramque partem: & Apollonius Rhodius illuſtris poeta huiuſmodi iudicio perterritus, quod ſemel non ſatisfeciſſet, abijt è patria, Rhodumque ſe contulit, ibique multo tempore reiectum poema perpoliuit, quod poſtea placuit. PAVL. Eſt hoc certe magnum, ſed non ſatis. Verum ad ea, quæ cæperamus obſecro, ne tempus hoc in rebus minime nunc neceſſarijs conteramus. SCAR. Age iam, declaratis inſtitutis, ac longa, laudataque poetarum omnium conſuetudine ſcribendi, propius velim ad auctoritates, ſi quas habes, ad rationes, & argumenta validiora, te conferas. PAVL. Primum auctorem Ariſtotelem profero, quem oſtendo Comædiæ, ac Tragædiæ verſum, vt inſtrumentum proprium, aſſignaſſe perpetuo, ſolutam orationem, nunquam. SCAR. Si te ψιλοῖς, illis λόγοις, ſeu *nudis ſermonibus*, implicaueris, profecto nunquam te ex illis hodie pinnis expedies. hærent enim ibi penè omnes. LIMP. Hic ego vos jamdudum expecto. neque enim te mihi Pauline doctiſſime, nec alium quenquã probaturum arbitror, ibi nudos ſermones non ad ſolutam orationem eſſe referendos, aut aliam fuiſſe Philoſophi in eo loco ſententiam. PAVL. Audiui te ſæpe hac de re, Limpi, diſputantem, & quidem ſubtiliter admodum, & erudite. Sed ne te cõpares. nolo enim te iam laborare, nihil eſt, quod eadem de re mecum hodie diſputes. Scio equidem quid ſenſerint eruditi. multa ſunt ab illis in hanc rem diſputata ſubtilius, & concluſa. Aſſentitur tibi Franciſcus Patricius in ſua Poetica, verum hac tantum in parte, quæ nudos ſermones

ttingit, quod vero pertinet ad verſum tragicum, & comicũ, mnino te deſerit, & cũ poetis antiquis conſentit. aduerſatur bi Caſteluetrus, ſed inprimis Plato, qui ſecundo de legibus b. ait, λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες. *Separant* inquit *poete hythmum, & figuras à concentu, ſermones nudos* (ab illis rhythnis, & figuris) *in verſu ponentes*; ſed circulum abſoluit omnẽ acobus Mazonius, vir eruditiſſimus, qui nudos ſermones ntellexit, ſolos verſus, nudos nimirum ab alijs inſtrumentis, hythmo, inquam, & motu, ſeu figura, quod ex eodem Platonis loco deſumpſit. id vero adeo cumulate demonſtrauit, t nullus ſit relictus dubitationi locus. Verum, vt dixi, libero am iſta te cura. contemnamus hos omnes, qui nudos ſermones malunt ad verſum, quam ad ſolutam orationem referre. taque diuiſerit Ariſtoteles Epopęiam, veluti genus quoddam, ut tibi placet, & ego aſſentior, in orationem ſolutam, & carminum uinculis aſtrictam, ac ceſſet ea ratione omnis, quę futura fuerat inter nos hac de re diſputatio. nihil hoc me mo uet, nihil impedit, quo minus ad id, quod uolo, & unde tu me excludis, perueniam, & oſtendam, uerſus non modo non eripuiſſe, ſed præcepiſſe comicis, & tragicis, Ariſtotelem. Etenim poſt iſtam Epopæiæ diuiſionem, omiſſa prorſus altera diuiſionis parte, quæ ad ſolutum, & pedeſtrem ſermonem ſpectaret, de quo mirum in tota poetica ſilentium, ad Tragędiam primo, deinceps ad poeticam, & metricam Epopæiam, accedens, ſemper & ubique uerſum ipſis attribuit, de ſoluta ne uerbum quidem vnquam. Id ſi tu fortaſſe neges, & ſi non eſſet hoc tuæ modeſtiæ negare, ſingula philoſophi loca, non quidem omnia, putidum enim eſſet, & valde moleſtum, ſed pauca tantum, & ea quæ nunc ex tempore mihi venient in mentem, perpendam. Primum, enumeratis Ariſtoteles omnibus, quæ ſub imitationem veluti ſub commune quoddam genus cadunt ipſius poeticæ partibus, tres deinceps affert earum inter ſe differentias; quarum prima eſt, quod & ſi omnes omnibus vtantur iiſdem inſtrumentis (Τοῖς αὐτοῖς, appellat ipſe) rhythmo, cãtu, & metro, vt dithyrambica, leges, Tragædia, & Comædia, in eo tamen differant, quod aliæ omni-

bus

bus inſtrumentis ſimul utantur, aliæ ſeparatim, & ex parte. Vides hic Tragædiam,& Comędiam habere commune cum alijs poeſis partibus metrum,& alia inſtrumenta, differre tamen ab eis,quia Tragædia ſeparatim inſtrumentis utatur,& partite, κατὰμέρος, nunc hoc, nunc illo. Aliquas inquit eſſe poeſis ſpecies,quas etiam nominat, & numerat, Dithyrambicam,legum,Tragædiam, & Comædiam, & eas tribus uti potiſſimum inſtrumentis,quæ ſint ipſis omnibus communia, rhythmo,harmonia, metro. uerum utendi tempora tantum eſſe diſſimilia,ſiquidem aliæ ſimul omnibus, aliæ non ſimul utantur. Tragædia enim,& Comædia ſeparatim. Patitur ne rerum natura Limpi, ut ſit aliqua Tragædia, quæ metrum, rhythmum & cantum ſibi poſcat, oratione ſoluta ſcripta? nouum,& ante hoc tempus inauditum poematis genus,ignotum Aphricæ,uel potius uniuerſæ naturæ monſtrum, Tragædiam pedeſtrem carmine compoſitam. Alteram deinde differentiam affert,inquiens, Et ſi communia ſint ijſdem inſtrumenta,communis etiam,& eadem materia (Ε'ν τοῖς αὐτοῖς, ϗ τὰ αὐτὰ, dicit ipſe)differre tamen,modo, Τῷ ὡς. nam aut interdum ipſe poeta loquitur, aut nunquam, cuius in modo tantum diſſimilitudinis,alteram ad Epicum, ut Homerum, alteram ad Tragicum,& comicum, ut Sophoclem, & Ariſtophanem,pertinere.itaque inquit,*ex parte idem eſt imitator cum Homero Sophocles,quia bonos imitatur, ex altera parte idē cum Sophocle,quod agentes,* Quid apertius? Sophocles eſt idē imitator cum Homero. quamobrem idem? quia cum eum Ε'παγγελία, narrandi modo tantum ab illo differre dixiſſet, in reliquis eſſe ſimiles ait,in materia, & in uerſu. Ε'ν τοῖς αὐτοῖς, ϗ τὰ αὐτά. Eadem eſt de Ariſtophane ratio, quocum Sophocli conuenire dicit,non in materia, quod alter bonos, alter malos,ſed in modo item,& uerſu. Quos igitur poetas Ariſtoteles ad Comicę, ac Tragicæ imitationis exemplum aſſumpſit,& quorum nullum diſcrimen poſuit in metro, ut in cæteris,eos recte metro Comædias, & Tragædias ſcripſiſſe ſtatuit,& cæteris ad imitandum propoſuit.Sed proſequamur.Poeticæ cauſas inſitas,& naturalem originem, inueſti-

ans ille philoſophus, duas tandem ipſius innatas cauſas ſequutus eſt, imitandi ſtudium, & harmoniam, atque rhythmum, à rhythmo metrum ſeparatum non eſſe aſſerens; quod etiam libro tertio artis rhetoricæ confirmauit, metrum eſſe rhythmi partem declarans, & Hermogenes etiam aſſeruit in principio libri de formis, & in Perſpicuitate, una cum Pſellio. *Hinc igitur*, inquit, *profecti homines, his naturæ initijs excitati, poeticam paulatim promouerunt, & auxerunt.* Ex quo patet unicuique, neque Tragœdiam, neq; Comædiam, Ariſtotelis ſententia, uel imitatione poſſe, vel verſu priuari, quandoquidem huius poeſis primordia, & procreationis initium, imitatio, & metrum, menti, naturæque noſtræ cognatum, edidit & protulit. quanam ergo ratione tu metrum extorqueas illi, quæ ſimul cum metro nata eſt, metrorum educata nutrimentis, nec ſine metro ſuarũ cepit incrementa laudum? quonammodo rhythmum, & cantum reliqueris illi, cui dempſeris metrum, cum neque rhythmus, neque cantus eſſe ſine menſura poſſit? num tibi quicquam videtur ad minimum tempus poſſe, ſublato fundamento, conſiſtere? Cur ergo non æquo iure nobiſcum agitur? aut cur non eadem vtriſque facultas? ex duobus poeticæ primis parentibus, eiuſque naturæ principijs, ſi tibi licet auferre alterum, nempe metrum, cur mihi non licebit alterum, imitationem? Cur tibi maior euertendi naturam erit auctoritas, quam mihi? quam cuiuis? en alterum tibi monſtrũ. poemata naſcentur abſque parentibus, imitatione ſcilicet, & verſu. verum id mihi non arrogo. Tu vero quis es, qui naturam doceas, & eius initia conculces, & labefactes? Sed ad propinquiora progrediamur. quæ enim hucuſque diximus, ea ſunt omni poemati communia, neque cuiuſq; præcipua. Deinceps vero ſolius tragædiæ propria ſe nobis offerunt exquirenda. Eam igitur definiens Ariſtoteles, inquit *eſſe, Imitationem actionis probæ, ac perfectæ, magnitudinem habentis, ſermone ad ſuauitatem compoſito, ſeorſim vnaquáque ſpetie in partibus agente:* & quæ ſequuntur. Huius porro definitionis, cęteris neglectis particulis, vt ad rem, de qua nunc agitur,

huiuſ-

haudquaquam accommodatis, illud iam videamus, quid ſibi velint illa verba, Ἡδυσμένῳ λόγῳ, *ſermone ad ſuauitatem effiсto*: id vero difficile nequaquam erit intelligere, cum ſuam, idem ipſe ſibi interpres Ariſtoteles, mentem, ac ſententiam expoſuerit, inquit enim. Λέγω δὲ ἡδυσμένον μὲν λόγον, τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν, καὶ ἁρμονίαν, καὶ μέλος, *dico ſuauem quidem ſermonem, eum qui habeat rhythmum, harmoniam, & cõcentum*. at in rhythmo comprehenditur, ex eiuſdem, & omnium ſententia, metrũ; metrum igitur in definitione continetur. Et quoniam dixerat, *vnaquaque ſpetie ſeparatim*, id quoque declarat; Τῷ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι. *Solo verſu dicit aliqua abſolui in ipſa tragædia*, tunc ſcilicet, cum inſtrumenta reliqua conquieſcunt. Num poterat illuſtrius à philoſopho ſignificari nobis, Tragædiam eſſe verſu ſcribendam? num apertius, quam aſſumpto in eius definitione, quæ naturam & vim ipſius exprimit, & rhythmo, & cæteris ſuauitatis inſtrumentis, ita tamen, vt eam aliquando dicat vti ſolo metro, ſeparatim & reliquis? Et inferius aliquanto, cum ſex Tragædiæ partes enumeraſſet, & inter eas, Dictionem, hanc poſtremam, vt melius ſua ſententia percipiatur, ac ne videatur, vt ſępe ſolet, obſcure loqui, manifeſtioribus, quam vnquam alibi verbis, explicat, inquiens, *Dico dictionem ipſam, verſuum compoſitionem*. Quid ais? ſatisne tibi videtur hoc in loco philoſophus aperte locutus, ac ſibi conſuetam obſcuritatem prorſus oblitus? an adhuc expectas, dum Ariſtoteles ipſe reuiuiſcat, & voce, quando verbis non credis, ad hanc te ſententiam excitet, atque tragicum tibi verſum in aures tandem, vel inuito, inſerat? Audiſtine, metrum, ac metricam orationem eſſe partem Tragædiæ? pars à ſuo toto ſeparari qui poteſt? in naturam ergo ingreditur Tragædiæ metrum. Quoniam autem in principio nihil eſſe poteſt uſquequaque perfectum, & adeo limatum, ut nihil præterea poſſit accedere, cum omnes artes, & diſciplinæ fiant acceſſione meliores; hac de cauſa temporis progreſſu multæ mutationes factæ fuerunt in Tragædia; quod commemorat in poetica Ariſtoteles, inquiens, *Tragædia multas mutationes nacta, tandem ſuam eſt conſequuta naturam*. Au-

dis?

s? perfectiſſimum eſt illud, quod in ſua natura conſtitit; ni-
l enim amplius requirit, nihil in eo deſideratur. ad ſummã
go perfectionem redacta Tragędia fuerat, aliquibus rebus
nmutatis, manente ſemper uerſu, tantum ex tetrametro, iã-
cum recepit, quod ipſa item natura, inquit Ariſtoteles, ſibi
legit, Αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε. *Ipſa natura proprium
i metrum in Tragędia reperit.* Quid opus eſt uerbis Limpi?
des te non poſſe, tota reclamante natura, metrum eripere
ragædiæ? non ipſi poetæ morem hunc, vt ais, induxerunt,
ec facultatem ipſi nobis eripuerunt poſteris, videndi me-
ora, ſed ipſa natura, quæ poteſt omnia, hunc vſum præſcri-
ſit, effecitque ne meliora videre poſſit ætas futura. Præte-
ea, cum Tragædiæ conſtitutionem, eam, quæ pulcherrima
t, nos doceret idem Ariſtoteles, præter cæteras optimæ con-
itutionis conditiones, eam plurimum laudat, vt ex celeber-
mis familijs eruantur argumenta, non vt quidam poetę, qui
agam, & qualemcunque ſuo modo ſibi ſumpſere fabulę ma
eriam. quare præſtantiores eſſe Tragædias affirmat eas, *quæ
irca Alchmæonem verſantur, & Oedipum, & Oreſtem, Thyeſtẽ,
& Telephum.* Qui poteſt igitur is philoſophus Tragædias car
nine conſcriptas reprehendere, & ad orationem ſolutam
edigere, qui Alchmæonem, & Oedipum, & alias ante com-
memoratas fabulas, optimas eſſe ſtatuit, & optime conſtitu-
as? & cum probatæ Tragædiæ virtutes, non bonæ vitia no-
aret omnia, verſum & tacite, & aperte, non modo laudauit,
ed etiam neceſſarium eſſe, atque Tragædijs innatum, decre-
uit, orationem vero pedeſtrem ne circuitione quidem, aut te
cte nominauit vnquam? LIMP. Fateor equidem Pauline,
nullam hoc loco ſoluti ſermonis eſſe commemorationem,
verum nec in Tragædijs illis, Alchmæone, & reliquis, vllam
videmus ibi fieri carminis mentionem. quare non magis tua
ratio liberam orationem, quam nexam, & colligatam exclu-
dit. PAVL. Recte tu quidem dubitares Limpi, niſi quas
hic Ariſtoteles Tragędias nominat, Oedipus Sophoclis eſ-
ſet, Oreſtes Euripidis, Thyeſtes Aeſchyli: quæ quidem Tra-
gædiæ pulcherrimis, & ſuauiſſimis explicatę uerſibus, adhuc

extant.

extant. Deinde in illis ipſis verbis laudat apprime philoſophus Euripidem, appellatque Τραγικώτατον τῶν ποιητῶν; *omnium poetarum maxime Tragicum*. & cùm in eo diſtributionem quandam non uſquequaque probet, quod uerſu tamē ſcripſerit, ne minima ſuſpicione quidem eum increpat: quod profecto feciſſet, ſi nec id probaſſet. Si igitur Euripides, qui carmine Tragædias dedit, eſt omnium poetarum maxime Tragicus, hinc iure ſequi uidetur, Tragædiam uerſu ſcriptā, eſſe poſſe maxime tragicam. Deinceps autem ait, *eſſe melioris poetæ partes, ex ipſa fabulæ conſtitutione terrorem incutere, atque rebus ipſis, quæ contingunt, eam vim attribuere, vt homines horreant, timeant, miſereantur: quod quidem*, inquit, *patietur is, qui Oedipum fabulam audiet*. Hæc autem fabula nota omnibus eſt, & eius auctorem habemus Sophoclem. Cum igitur pulcherrimas Tragædias, & ut ars expoſtulat, efficere nos doceat, ad quarum exempla Tragædias, uerſibus exaratas commemoret, quis hoc loco dubitet, quin huiuſmodi compoſitio laudetur à philoſopho, quam uerſus exornat?

Poſtremo, ne uos diutius in Ariſtotelis arte poetica detineam, quod quidem eſſet admodum facile, propter nimiam argumentorum copiam, quam poſſet ea tractatio nobis ad hanc rem ſuppeditare, plurimis alijs omiſſis rationibus, utar eo loco tantum, in quo Tragædiam Ariſtoteles cum Epopæia comparat. eſt enim egregie illuſtris. SCAR. Obſeruaui equidem aliquanto locum illum, quem dicis, atque ſi ſatis memoria teneo, notaui quoque: & huic opinioni tuæ, Pauline, magnopere fauet. LIMP. Audiamus, fortaſſe nihil oberit. PAVL. Comparans Ariſtoteles hæc duo inter ſe poematum genera, ſic ait. *Omnia quæcunque inſunt in Epopæia, eadem prorſus habet & Tragædia; non autem contra*. Cum ergo quæ poſſidet Epopæia, prorſus eadem ſibi Tragædia uindicet, non poteſt ea ratione Tragædia non ſuo iure ſibi uendicare uerſum. Secus enim eadem & habere, & non habere diceretur idem. Si, quæ ſunt illius, ad hanc transferendā ſint omnia, non poteſt Epopæia uerſum huic, uel quidpiam aliud negare, quin illi diem continuo dicat Ariſtoteles, & furti litē

inten-

ēdat.qua quidē in ſimilitudine,ac ſocietate rerū illa diſſi-
itudo tamen intercedit,& varietas,quod illa quam maxi
longius produci,& immoderatius excurrere , nulla cer-
definitaque mole,poteſt, hęc vero breuior ſit oportet , &
tractior, intra terminos,& cancellos cōſtituta, extra quos
edi minime licet.hæc vna diuerſitas. altera, (omitto nunc
ιγγελίαν,de qua ſuperius dixi) quod epopæiæ carmē con
nit hexametrum dactilicum catalecticum , & reliquæ ſpe-
s hexametri, quas duas & triginta Grammatici numera-
nt . Tragædiæ (& ſi poſſet Hexametro vti) iambica ſunt
tiora,trimetrum a catalecticum tetrametrum. qua cauſa ?
ia *iambicum,& tetrametrum*,inquit Ariſtoteles,*ſunt uel ad
tionem,uel ad motum corporis,& ſaltationem,accōmodatiora.*
ermogenes in forma incitatæ orationis , rhythmum Tro-
aicum uehementer probat in aliqua parte tragædiæ,cum
qui loquitur,incitatior ob aliquam perturbationem, vide
lebet.& huius rei teſte vtitur Menandro Comico poeta,
Archilocho . Καὶ τούτου τεκμήρια ἐναργῆ, πολλὰ καὶ τῆς
γῳδίας, ἔνθα ἐπείγεσθαι ὁ λέγων δοκεῖ, τροχαϊκῶς συντεθέντα.
rametri enim aliquando trochaice componuntur ,ut cur-
ntior fiat oratio,ac ſolutam orationem magis referat.Hæc
tur ſunt ex Ariſtotelis collecta doctrina,quam non debe-
us,ne ſophiſtas imitemur, uel ut obſcuram inflectere, uel
falſam refellere. Quare,niſi quid habes amiciſſime Lim-
,quod his opponas,ad alios auctores me conferam,qui &
ſi hac de re ſententiam protulere ſuam , non quidem con-
lto,quaſi cogitatam , & meditatam hanc afferentes quæ-
onem,de qua nemo dubitaret,ſed caſu quodam in huiuſ-
odi ſermonem incidentes. LIMP. Equidem,vt uerum fa-
ar,non ſatis uideo,quid ad iſta reſponderi commode poſ-
,aut cur alijs indigeamus auctoribus,ita ſubtiliter a te ſunt
illo fonte deducta,& exhauſta, atq; manifeſte nobis com
oſtrata . Verum adhæſeram illi ego ſententiæ,non vt Ari-
oteli repugnarem,ſed potius ut opinionem , quæ noua eſ-
t,nec ignobiles auctores haberet,non omnino deſererem:
oſti,credo, quam mihi noua placeant omnia. denique cu-

piebam hac de re te diſſerentem audire. Verum interea non omnis mihi ſcrupulus ereptus, nam nihil dum ad rationes à me propoſitas reſpondiſti, quamdiu autem illæ ſtabunt, non poſſum ab illa ſententia plane diſcedere. Hunc igitur mihi ſi exemeris, ut arbitror te facturum, penitus in ueſtram opinionem, ac libere concedam. PAVL. quod iam eſt inſtitutum, Limpi, conficiendum prius opinor. operæ prætium eſt enim, ea, quæ dicta ſunt, alijs rationibus, & aliorum præclari nominis virorum auctoritate roborare. poſtea tuis etiã argumentis, modo poſſim, ſatisfaciam. SCAR. Rectum ſane conſilium, & prudens. LIMP. ut lubet. PAVL. Primum igitur illud reſpondeas. non ne Tragædiam, & Comædiam, ex omnium, & ueſtra quoque ſententia, poeticæ partes eſſe dicemus? an hic erro? SCAR. Sunt partes, nemini dubium id eſſe puto. LIMP. Scribite me quoque uobis huius ſententiæ ſocium. nam præter Ariſtotelis auctoritatẽ, qui de his, ac de Epopæia deinceps egit in arte, ueluti de tribus eiuſdem artis ſpetiebus, Plato quoque libro 7. de legibus, alloquens Tragicos, *Poetæ*, inquit, *vos eſtis*, & ibidem, *Tragædiæ uero poetæ*; & quæ ſequuntur. Hermogenes autem in libello de formis, prope finem, id ipſum aperte confirmauit his uerbis. *ἰδίᾳ περὶ ἐποποιίας εἰπεῖν, ἰδίᾳ περὶ τραγῳδίας, καὶ κωμῳδίας, τῶν δὲ λυρικῶν ποιημάτων, καὶ τῶν ἄλλων εἰδῶν τῆς ποιήσεως.* idest, *Separatim de Epopæia dicere, ſeparatim item de Tragædia, & Comædia, de Lyricorum poemate, & alijs poeſis ſpetiebus, longum eſſet.* MARCELL. Non minus aperte idipſum Euſtathius eruditiſſimus interpres, & explanator Homeri, protulit, inquiens, *Καὶ ὅτι ποιήσεως εἶδος καὶ αὐτὴ ἐποποιΐα ὡς καὶ ἡ τραγῳδία, καὶ ἡ κωμῳδία. quòd ſpeties ſit poeſis ipſa Epopæia, quemadmodum & Tragædia, & Comædia, alibi dictum eſt.* Sed in re tam plana, nihil opus eſſe uidetur auctoritate. PAVL. Recte ſentis, utraque igitur, Tragædia, & Comædia poeticæ ſpeties eſt, & ad poeticam omnino redigitur. Sed poetice loqui, idipſum eſt, quod, ut ſic dicam, metrice, modulate, ac denique uerſibus loqui, uel ſcribere: Sequitur ex hoc itaque, Tragico, uel Comico poetæ, ſi debeat ex omni parte

generis

generis ſui ſequi naturam, aut verſibus eſſe ſcribendam, aut ſi ſecus faciat, poetæ nomen abijciendum. LIMP. Propoſitionem, Pauline, fortaſſe non omnes admittent, ut aſſumptum. non enim eſt omnibus exploratum, poeticam elocutionem omnem, metro connexam, & addictam eſſe debere: nam & ſi ego uerum id eſſe facile crediderim, fortaſſe non omnes id ipſum, ſic uniuerſe pronunciatum, recipient. Si igitur tibi negetur ab aliquo, uide num poſſis probare. PAVL. Quis hoc in dubium reuocet, obſecro, aut ecquem tu legiſti poetam, qui uerſum ſit unquam aſpernatus, & ad ſolutam tranſierit? Verum ſi id quæris, non deſunt, opinor, neque tu neſcis, clariſſimorum uirorum teſtimonia. nam & is, quem tu paulo ante nominaſti, ſcriptor egregius Hermogenes, eodem, arbitror, in libro, de poeſi ſic inquit, Κῶλά γε μὴν ἴδια ποιήσεως, καὶ συνθῆκαι, ῥυθμοί τε, καὶ ἀναπαύσεις, ῥᾴδιον μὲν εἰπεῖν, ὅτι τὰ μέτρα; καὶ ὡς ἀληθῶς γε τοῦτο κατιδεῖν, ἕως ἐφ᾽ ἑαυτῆς ἡ ποίησις μένει ψιλή, ὅταν δὲ περὶ Ὁμήρου λέγωμεν, ἀνάγκη προστιθέναι, ὅτι τὸ δὲ τὸ μέτρον. SCAR. Egregie tibi locus is fauet. PAVL. erunt & alij: *Membra, inquit, poeſis propria, Compoſitio, & rhythmi, & quietes, facile eſt dicere, eſſe verſus; & hoc verum eſſe videtur ſimpliciter, & vniuerſe in omni poemate. quando vero de Homero loquimur, tunc addamus oportet, hoc metri genus, hexametrum ſcilicet.* Et idem alibi. *Sunt autem poeſis propria, præter cæteram orationem, omnino metra.* Carmen inquit hic auctor, ſi generatim, & uniuerſe loquamur, eſſe ſimpliciter, & abſolute, proprium omnium poetarum; unicuique uero poetæ ſuum & præcipuum, ut Homero hexametrum. In quo illud etiam animaduertendum, bis Hermogenem uſum eſſe nomine proprij, quaſi dubitaret, ne non ſatis ſemel eſſet eius ſententia percepta. Si proprium poetarum eſt carmen, ergo neceſſarium, & ex naturæ principijs infixum poetis, & hærens; ergo præter poetas, nulli. Id enim eſſe cuiuſque proprium accepimus, quod eſt illi ſoli peculiare. id uero non modo Dialectici, ſed orator etiam M. Tull. in Oratore nos docuit, his uerbis: Verba propria, & certa quaſi vocabula rerum, penè una nata cum rebus ipſis. Et Ariſtoteles lib. tertio de Generatio-

ne animalium, de apibus loquens, dixit, *καὶ ἡ γένεσις αὐτῶν ἴδιος φαίνεται. propriũ & peculiarẽ habẽt apes, et nemini cõmunẽ, naſcẽdi modũ.* Hoc mihi declarandum fuerat, tum ut manifeſte uideres, uerſum conuenire poetis, tum etiam ne ſe tam uehementer excruciet ille Clanippeus, quærens, num uerſus ſit poetarum proprius. Beliſarius Bulgarinus, eruditus uir, & multæ lectionis, & in re poetica uerſatus, Dantis Comædiam Italico carmine ſcriptam Italicis uerbis oppugnans alicubi, quod uerſus comici decorum non ſeruarit, non eo reprehendit illum poetam, quod uerſu ſcripſerit, nam hoc faciendum omnino cenſet; ſed quod non eo uerſus genere, quo decebat. Ait igitur. *Quanto al verſo poi, è noto, che da ciaſcun s'accetta; che'l proprio verſo de' ragionamenti ſcambieuoli, e per conſeguente, comici, ſia il verſo Giambo, ò altro uerſo, quello, in quãto ſi poſſa, repreſentante.* E poco appreſſo. *Non douea almeno Dãte inalzarſi tanto co'l uerſo, ch'egli usò, ſe uoleua mantiner il decoro del verſo Comico, e della Comedia.* Iacobus uero Mazonius uir ſingulari ſciẽtia præditus, poſt lõgã hac de re diſputationẽ, inquit. *Cõcludo adunq; in queſto propoſito, che la poeſia, la qual vſa il parlare, l'vſa in verſi, ſe perfetta poeſia deue eſſer nomata; e conſeguentemente che nõ è coſa lodeuole lo ſcriuer poemi in proſa, e meno di tutti l'Epopeia.* Idẽ alibi definitionem Poeſis afferẽs, inquit, *La poeſia è un'arte imitatrice, fatta con verſi, con numeri, con harmonia, ſcompagnati, ò congionti,* e quello che ſegue.

Franciſcus Robortellus, non infimæ claſſis auctor, doctus & eruditus ſemper habitus, in libro de artif. dicendi quęrens, quo differat poeticus ſermo ab oratorio, tria proponit poetarum genera, primum Comicum, & Tragicum, alterum Heroicum, Lyricum tertium. his ita diſtributis, ait, *Comici & Tragici ab oratoribus diſcrepant, quod pedibus ipſi, & metris verſum illigant, pedibus inquam, ſimilibus ſolutæ orationi, cũ parua præterea verborum immutatione.* Et poſtea. *Efficitur autem ab oratorio longius diſcrepans alterum illud poetici ſermonis genus* (heroicum) *duplici modo, vel quia numeros adhibet magis grandes, quam illud primum, de quo diximus, & magis ſonoros, vel quia uerba pene omnia, & loquendi formam immutat. Tertium vero*

illud ſermonis genus poetarum(Lyricum)*eſt, quod longiſſime ab Oratorio, & populari diſtat, tum propter numeros, tum propter uerba omnia immutata, tum etiam propter rerum immutationẽ.* Vides, ut hic uir omnibus illis poetarum generibus tribuat uerſus, & immutationem uerborum, & rerum, quibus uel parum, uel multum, uel denique plurimum diſcrepant à populari, & ſoluta? in quo illud etiam memoria tenendum, quo poſtea, occaſione data, utar, Comicum, & Tragicum poetā omnium maxime accedere ad popularem orationem. Scaliger libro primo artis poeticę, definiens Tragædiam, inquit. *Tragedia eſt imitatio illuſtris fortunæ, exitu infelici, oratione graui metrica.* At hi ſunt iuniores, nec temere, dices, ipſis adhibenda fides. Quanta igitur tibi, qui iunior illis? Citentur ergo uetuſtiores, ne iſthæc facta reiectio cauſæ noſtræ ſit fraudi. Teſtimonium dicat Euſtathius, explanator illuſtris Homeri, is autem primo Iliadis libro ſic ait. Eius autem uerba libet aſcribere, ne uitium in alienis putes. Δῆλον ὅτι ποιεῖν, τὸ ποιητικῶς, ἤγουν ἐμμέτρως ἀείδειν, καὶ γράφειν, καὶ ποιητὴς οὕτω γράφων, ὁποῖος ἂν καὶ εἴη, εἴτε κωμικὸς, εἴτε ὅστισοῦν ἕτερος. Num & hic uetulus nobis fauet Scarane? *Manifeſtum eſt,* ait, *verbum* ποιεῖν, *facere, ſignificare poeticę, hoc eſt metrice, ſeu verſu, canere, & ſcribere, & poetam eſſe, qui ſic ſcribit, ſiue comicus is ſit, ſiue quicunque alius.* Quonam hercle modo cognationem, & affinitatem exprimere poetarum omnium cum metro potuit apertius? poetice dicere nihil aliud eſſe ait, quam metrice uel canere uel ſcribere, ut Comici, uel quicunque alius. numquid hic audis, quod nolles? aut num hinc aliquid poſſe tibi uidetur alienus, elici ſenſus, qui iamdudum labantes opiniones ueſtras ſuſtineat, & fulciat? Euſtathio aſſentitur Maximus Tyrius, cum inquit, *Si quis poetica deſiderio tenetur, accedat huc*(philoſophia loquitur) *aliunde aſſumptis tantum metris, reliqua ſupellex hinc illi ſuppeditabitur.* Iulius autem Pollux, declarans, quid ſit poeta, inquit, Ποιητὴς, ᾠδὸς, μέτρων συνθέτης, καὶ εἰς μέτρα κεκινημένος. *metrorum compoſitor, & ad metra concitatus.* Ποιήματα δὲ, ᾠδαὶ, ᾄσματα, μέτρα, λόγοι ἔμμετροι, κωμῳδία, Τραγῳδία. *poemata ſunt odæ, cantus, verſus, oratio uerſi-*

bus alligata, Comædia, Tragœdia. Latuit, opinor, eruditum uirũ Pollucem, tantum facinus in poeticam facultatem irrepſiſſe; nec ei quiſquam in aurem illud inſuſurrauerat, nefas eſſe; Tragędias, & Comędias, ulterius poſt illud tempus, ullas exarare carmine: timuiſſet enim fortaſſe futuri cuiuſdam æui limatiora, quam antea iudicia, nouorumque poſthac hominum magis abſterſum palatum. quamobrem non Ε'μμέτρους; ſed Πεζοὺς λόγους, iſtis poetis adiudicaſſet. Verum quis in hoc argumento, uel apertiora uerba, uel firmiores auctores deſideret? num hos uiros tot, & tales, erraſſe dicas? equidem iſto modo ſemper errare malim, & his ducibus uiam quamcunque monſtrantibus, labi; quam iuniorem aliquem, uel meliora, ſponſione facta pollicentem, ſequi. Sed placet ne conijciamus hunc ipſum in errorem, Platonem, & rurſus Ariſtotelem? ſic opinor agamus. multiplicatis enim errorũ, & huiuſmodi ſententiarum ſocijs, fortaſſe facilior erit errantium cauſa. quid igitur ait in hanc ſententiam Plato? Hæc ſunt eius ipſius uerba, ex tertio de republica libro deſcripta. *Dicam ſine verſu, non enim ſum poeticus,* ergo poetici non ſine uerſu dicunt. hoc enim nos locus à contrarijs docet; & qui ſine uerſu dicunt, aut ſcribunt, hac ratione in poetas non ſunt referendi. Idem autem in Ione ſexcentis modis hoc ipſum explicat. *Aiunt enim nobis poetæ* (inquit Conuerſio Ficini) *quod è fontibus, quibus mel ſcaturit, haurientes, & à Muſarũ viridarijs, collibuſque decerpentes carmina, ad nos afferant: hic dithyrambos, ille Choreas, alius Epica, alius Iambos, canit.* Et 3. de republica, duas ponit poetici carminis ſpecies, alteram, quæ unicam ſeruat in carmine ſeriem, unicum rhythmum, eumque immutabilem, ſemper eadem canendi forma; alteram, quæ omnibus indiget conſonantijs ac numeris, multaſque recipit mutationes; ac denique inquit; *non ne omnes poetæ, & qui aliquid dicunt, vel altera ex his dicendi figura vtuntur, uel utriſque commiſtis?* Sed quid moror, ac tempus contero? non ne idẽ philoſophus, uelut auditis partibus, cauſã nobis adiudicat? Et poetas illos damnat, qui ſine uerſu poetæ uolunt eſſe, Τετμημένα ῥυθμοῦ, καὶ ἁρμονίᾳ σφαλερὰ γράμματα

ἡμῖν ἐστι. *Quædam ſcripta poetarum harmonia, & rhythmo carentia, fallacia, & erroribus obnoxia* uocat, lib. Sept. de legibus. Quid autem ſibi uolunt illa uerba, ex 2. de legibus, *Sermones nudos ad verſum accommodantes,* poetæ uidelicet? Sed quęſo, ne graue ſit hoc poſtremum argumentum audire, quod à notatione rei, quam Ἐτυμολογίαν, appellant, eſt excerptum. poeſis enim & poeta, Ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, id eſt a faciendo, dicitur: quod quidem verbum cum omnibus artibus, & diſciplinis, quæ faciunt aliquid vniuerſe, ſit commune, poeſis ſola ſuo quodam iure nomen ſui ſibi generis impoſuit, quaſi ipſa ſola ſit faciens. qua cauſa? obill uſtrem, opinor, operam, & facultatem in faciendo, præter fabulam, ipſo carmine; tan quam hæc illi actio ſit adeo princeps, & præcipua, vt ab illa ſuum acceperit nomen. Rides ineptias iſtas, & inanem ab etymologia rationem? verum vlciſcetur te idem Plato. qui mihi cauit, atque teſtis, & ſponſor adeſt: meque in conuiuio cum illo præclaro poetarum cætu ad cænam inuitatum bono animo eſſe iubet, his verbis. Ἀπὸ δὲ πάσης τῆς ποιήσεως ἓν μόριον ἀφορισθὲν τὸ περὶ τὴν μουσικὴν, καὶ τὰ μέτρα, τῷ τοῦ ὅλου ὀνόματι προσαγορεύεται. ποίησις γὰρ τοῦτο μόνον καλεῖται, καὶ οἱ ἔχοντες τοῦτο τὸ μόριον τῆς ποιήσεως, ποιηταί. *hoc eſt ab vniuerſa* ποιήσει, *factione vna pars ablata, quæ circa muſicam, & metra verſatur, totius nomine appellatur; hoc enim tantum poeſis vocatur, & habentes hāc factionis partem, poetæ.* Quid tibi videtur Limpi? num apertiorem ſententiam, & magis expreſſam hac in re deſideras? Ea pars, inquit, totius factionis, quæ verſatur circa muſicam, & metra, ſola poeſis appellatur. Poeſim igitur, & poetam à faciendo dici quicunque ea ratione ſtatuit, quia verſetur circa verſus, & muſicam, non ne is aperte fatetur, hanc illi facultatem fuiſſe natura communicatam, & iure naturæ tributam? quam qui eripit, is naturam, ac vim eius omnem, diripit, & vaſtat? num autem hic aliquis poſſe tibi videtur, alienus, & diſſentaneus accommodari, veſtro modo, ſenſus? aut abſurdior aliqua extorqueri verborum interpretatio? nō anceps & ambigua vox, aut ſentētia, non obſcurus ſermo dare vobis anſas poteſt, quibus ſæpe nugatores, & Sophiſtæ,

ſolent omnes optimas diſciplinas, & omnia ſtudia, perturbare. Equidem Platonem arbitror, ſi dum viueret, ego tunc viuens eum rogaſſem, vt hanc acceptam à me ſententiam quam fieri poſſet ornatius, & ſignificantius, ſuis luminibus illuſtraret, non aliter explicaturum fuiſſe. Sed quid ego nunc hæc pauca recenſo loca Platonis, cum nullus fere ſit Platonis dialogus, in quo non aliqua poetarum extet, atque carminum mentio. SCAR. Eleganter admodum, & cumulate confeſſus eſt Plato, nec reticuit, aut diſſimulauit errorē. mirum ni ſeuere plectatur hic homo. quid meritus eſt Limpi. LIMP. Cicutam. magnopere namque Socratizat. PAVL. ſi confeſſione ſua plectendus eſt, ergo vera dixit, quis enim hominem iure mulctat, niſi de maleficio confitentem vera? illum enim magiſtratus punit, quem vrget ſua confeſſio veritatis, dum autem veritas ignoratur, aut occulitur, animaduerſio conquieſcit. vera igitur confeſſus eſt Plato, quem ea tu ratione mulctandum cenſes. LIMP. Age, age impune ferat & ipſe, atque etiam ſi tibi ſic videtur, eius amicus Socrates, verum, nec ne dixerint. non equidem ægrefero te ſeria tractantem, quandoque ludere. PAVL. Sed adducatur in quæſtionem nunc Ariſtoteles, quando magiſter eius propria confeſſione conuictus eſt. quid igitur is ait? libro tertio, opinor, artis Rhetoricæ, ſic loquitur. *Quamobrem numerum habere debet oratio, verſum verò nequaquam, eſſet enim poema, neque vero accuratè numerum; hoc autem continget, ſi ad quendam uſque terminum.* Oratio inquit, ſoluta metro carere debet, ſecus enim eſſet poema. tribuit ergo poemati verſum; ex quo ſequitur & illud alterum, ſolutam orationē non eſſe poema. Si enim omne poema verſum habere debet, oratio vero ſoluta nequaquam, tu ipſe iam concludito ex præceptis logicis, in ſecunda ſyllogiſmorum figura traditis, nullam orationem ſolutam eſſe poema, nec vllum poema ſoluto ſermone poſſe conſtare. vidit hunc ipſum M. Tullius locum in Oratore ad Brutum, dixit enim; *is igitur* (Ariſtoteles) *verſum in oratione vetat eſſe, numerum iubet.* ſed clariſſima eius au ctoris eſt in tertio libro de oratore ſentētia, cum ait. *neque vero*

ro hac(ſolutæ orationis præcepta ſignificat)*tam acrem curam, diligentiamque deſiderant, quam eſt illa poetarum, quos neceſsitas cogit, & ipſi numeri, ac modi, ſic verba verſu includere, vt nihil ſit, ne ſpiritu quidem minimo, breuius, aut lõgius, quam neceſſe eſt.* Sed quid ago? Ciceronem ipſum imprudens in hãc ipſam incluſeram errantium hominum ſocietatem. Sed hoc loco ſcire ex te, Marcelline, velim, ecquę ſit iſta neceſſitas, quę poetas cogit, uerba uerſu includere? memini enim te ex aſtrorum quibuſdam aſpectibus, & cęleſtium corporum ſitu, ſæpe morbos, ac morborum acceſſiones prædicere bonas, & malas in ægrotantibus, num pernities expectanda ſit, & interitus animantis, an uicta malefica materia, ſalus. etiamne poetas aſtra reſpiciunt, & ad carmina compellunt inuitos? Marc. neque uiolentiam aſtra, neque neceſſitatem inferunt vllam, & ea cogere noſtram uoluntatem poſſe nego, uim in his inferioribus habere, nõ nego, magnam illam quidem, ſed nec abſolutam, & impedientibus cauſis expoſitam, atque ſubiectam. Neceſſitatem in uerſu eam arbitror eſſe, quam poetis homines, ex rei principijs eductam, impoſuerunt. nam cum uerſus ſit menſura cantus, & ſoni, modorumque omnium in muſica, his, ut officio ſuo fungantur, neque tamen id ſine menſura poſſint, neceſſarium omnino ea de cauſa fuiſſe uerſum exiſtimo, qui ſi poetę detrahatur, poetæ nomẽ ex neceſſitate ceſſabit, quicquid enim neceſſitatem habet aliquid agendi, id ſuæ naturæ ſequitur abſolutionem. quod ſi quandoque ceſſet, aliqua ui coactum ab effectione, ad quam neceſſate fertur, tamquã ſuę naturæ uiribus, & propria conſtitutione nudatum corruit, & deſtruitur. ſed extra tempus hæc a me requiris, quæ multo maioris indigebant otij. Nunc autem audi, quid mihi ueniat in mentem. PAVL. Quid? Marcel. Cum eſſem ad Lacum Larium (Comenſis ditionis is lacus eſt, atque adeo regio illa tota) magnam ibi mihi conciliauit eo tempore ſtudiorum, credo, ſimilitudo quædam amicitiam, & familiaritatem cum Bonifacio Vannocio, uiro, mea quidem ſententia, ſumme docto, atque omnium artium, & diſciplinarum liberalium, maxime ſtudioſo: atque ea de cauſa principibus uiris multis, prę

ſertim uero ſummis Pontificibus in urbe Roma non ſolum probato, ſed etiam ualde caro; quem ego cum ob ſingularē doctrinam, tum maxime propter morum elegantiā, & ſuauitatem, vnice diligo. Eo igitur tempore cum eiuſdem eſſem ego ſententiæ, quam nunc tuetur Limpius, multis ille modis refellere meam illam opinionem ſolebat, duabus præſertim auctoritatibus, altera Ariſtotelis, Dionis Chryſoſtomi altera, quas ego, ſi tibi nunc fortaſſe non occurrunt, libentiſſime ſubijciam: erit enim mihi iucunda ſatis hominis amiciſſimi recordatio. PAVL. Mihi ſanę gratum erit hac in re aliquid audire, quod memoriam meam fugerit. vtinam vero nō tam multa perpetuo fugerent. Verum quid afferebat amicus ille tuus? MARCEL. Ariſtotelis in arte poetica hæc verba recitabat. *Epopæia tragædiæ ſimilis dūtaxat eſt, quod metrico ſermone præſtantium virorum imitatio eſt.* Duobus tantum his inter ſe ſimiles eſſe ait Epopæiam, & tragædiam, quod vtraque imitetur bonos, & quod carmine imitetur vtraque; verſum igitur in exquirenda tragædiæ natura, vna cum imitatione bonorum & huic, & illi tribuit Ariſtoteles: in qua ſimilitudine verſus, diſſimilitudinem ait eſſe quandam, quod illa ſimplicem, & vniuſmodi verſum, hexametrum, inquam, heroicum ſibi delegit, hæc multiformem, & varium, nec vna tantum idea cōflatum, qualis eſt iambicus, & tragicus. Dion uero 19. ſermone ſic ait, Τῆς δὲ τραγῳδίας τὰ μὲν ἰσχυρὰ, ὡς ἔοικε, μένει, λέγω δὲ τὰ ἰαμβεῖα, τὰ δὲ μαλακώτερα διερρύει. i. *eorum, quæ ſunt in tragædia, valentiora quidem, verſus dico, vt decet, permanent; molliora quædam effluxerunt.* Vim carminum eſſe magnam in comędijs, & tragędijs aſſerit, & illa, ut decet, perpetuo tempore manere, nec uſu, uel rerum conuerſione mutari; molliora uero, cantus, ſaltationes, laſciuias quaſdam, & aliqua nomina, uſu, & uetuſtate uariari; comparans ipſos uerſus oſsibus, neruis, & muſculis in corpore, quæ neque ſenio decedunt: reliqua pinguedini, & reliquis, quæ cito, paruoque momento concedunt, & euaneſcunt. LIMP. Hui, ex aquis uſque Larijs in nos Arietes, & Catapultæ? mirum ni etiam ex Troglodités, & ex ipſa Męotide. Tu verò Marcel-

line

line valde fælix es iſtis amicis; me autem, vt vides, oppugnãt omnes. MARCEL. Ego monitus ab amico ſapienti, mutaui ſententiã, vt audiſti; tibi vero multi sũt huiuſmodi amici, nec tamen audis quenquam. PAVL. Perplacuerunt, ita viuam, quæ de Vannocij amici tui, viri vehementer, vt video, docti, ſententia recitaſti. quamobrem & illi, & tibi Marcelline, gratias agimus omnes, ſi ſic videtur Limpio. LIMP. Quid ni? PAVL. Sed redeo ad Ariſtotelem. is libro tertio artis Rhetoricæ dixit, *Sed diuerſa eſt orationis ſolutæ, & poeticæ, dictio, neque enim qui tragædias faciunt, eodem vtuntur modo, ſed ut ex tetrametris ad iambicum ſe contulerunt, quia ſermoni inter alia metra ſimillimum ſit, ſic nomina abiecerunt, quæcũque præter conſuetudinem loquendi ſunt.* hoc autem ipſum iiſdem pene verbis dixit, vt dudum ex Marcellino audiuiſtis, Dion Chryſoſtomus. ex quibus expreſſe patet, quædam accidentia (liceat mihi ſic dicere τὰ συμβεβηκότα) immutari quandoque cõſuetudine, vt ante docui, verſum uero, tanquam artis intimum, & cognatum inſtrumẽtum, nullo vnquam tempore. LIMP. nuſquam ego medius fidius Ariſtoteli adeo cum præceptore ſuo Platone vidi conuenire, vt in hoc tantum argumento, in cæteris uero ſemper aduerſarius, & oppugnator. Verum quis ille Græcus eſt, qui tanquam aliquid & ipſe dicturus, propius huc accidit, & nos intuetur? PAVL. Dionyſius eſt ille Halicarnaſſeus, rhetor egregius, qui Octauiani Auguſti tempore maxima ingenij laude floruit. Accede amice audiamus quid is dicat. in libro de compoſitione loquens de ſoluta oratione, inquit, Οὐ μέντοι προσήκει γε ἔμμετρον, οὐδ᾽ ἔρρυθμον αὐτὴν εἶναι δοκεῖν, ποίημα γὰρ οὕτως ἔσται, καὶ μέλος, ἐκβήσεταί τε ἁπλῶς τὸν αὐτῆς χαρακτῆρα. *non tamen oportet ipſam (ſolutã orationem) videri metricam, & in rhythmis conflatam; poema enim ſic eſſet, & carmen, & a ſua ipſius forma recederet.* quæ quidẽ ſententia fuerat a Cicerone in libris de oratore, ac prius ab Ariſtotele in rhetoricis prolata; quam etiam confirmauit Demetrius Phalereus in libro de interpretatione, ubi de compoſitione agit. Verum unus mihi reliquus eſt pro omnibus, quẽ pene oblitus eram, ordine quidem poſtremus, dignitate uero

ro inter primos, optimus & poeta, & artis poeticæ magiſter. LIMP. Quem dicis? PAVL. Horatius is eſt. LIMP. Recte. præclarum latinitatis, & carminum auctorem dicis. nec igno ro, eum libro ſatyrarum primo dixiſſe. *Pollio regum facta canit; pede ter percuſſo*, id eſt, Tragædias trimetro carmine ſcribit. Et libro ſecundo Carminum, ode prima,

Paulum ſeueræ muſa tragædiæ,
Deſit theatris, mox ubi publicas
Res ordinaris grande munus,
Cecopio repetes cothurno.

PAVL. Rem tenes. Hortatur enim poeta Pollionem, ut tantiſper ſcribendæ tragædiæ ſtudium intermittat, dum res publicas conſtituat; qua re confecta, poterit ad tragædias redi re, magnifico carmine cōſcriptas, quale fuit Aeſchyli, Sopho clis, & Euripidis, qui Cecropes, id eſt Athenienſes fuere. Ve ra quidem hæc ſunt, & tragædias carmine ſcribendas præcipit, & carminis etiam genus annuit; ſed uideamus, amabo, nū ex arte poetica, qui proprius eſt huius diſceptationis locus, aliquid expiſcari poſſimus, quod ſuperiores rationes noſtras corroboret.

Archilochum, inquit, *proprio rabies armauit Iambo,*
Hunc ſocci cæpere pedem, grandeſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Audiſne comicos, & tragicos, iambum ſibi delegiſſe, ad ſua poemata componenda? cuius facti rationem etiam addit. & iure inquit, quia is uerſus eſt aptus huiuſmodi ſermonibus, & colloquijs, aptus actionibus, & rebus, quæ contrahuntur in tragædijs, & comædijs. & alibi. *Effutire leues indigna tragædia verſus.* non debent eſſe leues, inquit; humiles, & inanes, ut in comædia, tragędiæ uerſus, ſed contra graues, illuſtres, & ſublimes, perſonis, & rebus conſentanei. Idem, uariatis tamen uerbis, eo ipſo in libro præcipit, inquiens,

Verſibus exponi tragicis res comica non vult
Indignatur item priuatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſte.

Idipſum

Idipſum nos hic admonet, ut res tragicas non comico, & exili, ſed elato, comicas rurſus, non ſublimi, turgidoque, ſed humili carmine ſcribamus. num hic vlla ſoluti ſermonis eſt habita ratio? aut vſquã vlla pedeſtris orationis mentio? At id Horatius non vidit. Latuit ſane hominem minime poetam & huius artis rudem, iſthæc noua ratio ſcribendi. turpiter & ipſe cum cæteris, quos audiſti, lapſus eſt, iiſdem plane pœnis obnoxius. LIMP. fortaſſe Pauline, ſi fuit error, non tamen errauit Horatius. non enim ipſe, vt putas, hoc admonet, aut præcipit, vt in Comædijs, & Tragædijs, verſum adhibeamus, ſed vſum, & conſuetudinem illorum, & ſuperiorum temporum, ſequitur. fortaſſe non probabat, quod reprehendere non audebat. PAVL. Male tu quidem de tali viro videris exiſtimare. nam quid ais? eum ne, qui ſummam ſit apud vniuerſum populum Romanum ingenij, ac poeticæ facultatis laudem, conſequutus, quiq; artem interea ſcribat, & inſtituat ipſorum poetarum, præcepta regulaſque nobis tradere, quæ ipſe non probet? tantaque eſſe mentis anguſtia, vt quæ ſecum ipſe reſpuat, & excludat, ea manifeſte reprehendere, vel aliquo modo ſaltem indicare, aut innuere non audeat? & ad artem reuocet ea, quæ fundamento nitantur falſo? nimium illum accuſas, dum iſto modo defendis, & nimium eripis illi, cui tantum timoris adiungis. Tu vero quid expectas? num ut dialectica ratiocinatione, minutoque illo diſſerendi genere concludat hoc, non illo modo, ſcribendũ? Profecto ſi uel ex Dodoneo, uel ex Delphico oraculo, uel ex haruſpicorum aliqua diſciplina, cognouiſſet Horatius, poſt mille ſeptingentos annos fore nonnullos adeo ſui capitis homines, qui hac de re dubitarent, ac turbas facerent, ut erat humanus, ac liberalis, & in ſcribendo dilucidus, aliquo certo, ac pleno ſyllogiſmo tibi ſatisfactum uoluiſſet. uerum id non cogitauit, neque potuit, in re tam illis temporibus nulli dubia, tam explorata. Veruntamen attende quæſo. Quid ſibi uolunt illa uerba? *Verſibus exponi tragicis res Comica nõ vult*. Non ne hoc ipſum? Res Comica non debet exponi uerſibus tragicis, ſed humilioribus? id enim hoc loco uerbum illud

uoluntatis poteſt; forma dictionis ex gręcis inuecta, qui ſic loquuntur, ut Ariſtoteles in politicis, Βούλεται δ' ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ κεκτημένοι τὰς οὐσίας μηδὲν ἄδικον πάσχωσι. *debet rex eſſe cuſtos*: Sic etiam idem Horatius in eadem epiſtola. *Et docere volunt, & delectare poetæ.* Porrò in illo uerſu. *Effutire leues indigna Tragædia verſus*, quid eſt, *Indigna effutire*, niſi non debet, non ei conuenit? Cum uero inquit, Iambum eſſe aptum alternis ſermonibus, & rebus agendis, non ne tibi uidetur hoc eſſe præceptum, quo iubemur, in Comædijs, & Tragædijs nos eo uerſus genere uti debere, tanquam ad illa poemata uehementer accommodato? Quæ poteſt hac eſſe lex clarior, quod certius mādatum? Quod ſi te parū adhuc hęc mouent, & aliquid magis expreſſum, & enucleatum, appetis, itaq; tanquam ex ſyngrapha mecum agere placet, eſto. Lege uerſus hos, qui ſequuntur.

Syllaba longa, breui ſubiecta, vocatur iambus,
Pes citus, vnde etiam trimetris accreſcere iuſsit
Nomen iambeis, cum ſenos redderet ictus. Et reliqua.

quæ ſequuntur. Quid adhuc deſideras? iam non modo uerſu ſcribi comædias, & tragædias iubet, ſed etiam, quo uerſus genere, docet. Iambis trimetris, inquit, aliquando tamen recepto, in quibuſdam ipſius uerſus locis, ad comprimendam iābi velocitatem, pede ſpondeo. neque hoc fuit illi ſatis, verum præterea vitia, quæ in poetarum Latinorum verſus irrepſerant, obſeruat, & carpit. Verum his omiſſis, illud ex te libenter audierim, eruditiſſime Limpi, qui tibi venit in mentem, Comicis ac Tragicis tantum verſum eripere, Lyricis, & Epicis concedere? vel omnibus tribuenda licentia, uel neganda pariter omnibus, atque omnes æque mulctandi. non decet alicuius eſſe partis, & uelut accepto munere, ſic tandem reſponſa dare, profitentem litteras. LIMP. Non mehercule quia partibus ſtudeam, aut alicui meo commodo ſeruiam, id facio; ſed ita res eſt, uereque ſic ſentio, non enim eadem eſt vtriuſque partis in uerſu ratio, aut ius idem, ſed ita diuerſum, ut non iniuria alteri ademptum uoluerim, alteri ſeruatum carmen. PAVL. Quonam modo diuerſa ratio? hoc explices

opto.

opto. nam mihi ſecus videtur, fortaſſe etiã Ariſtoteli. LIMP. Dixeram in principio, ſi meminiſti, perſonas in comœdia, & tragœdia, quia prodeunt in ſcenam, & ſe populo committũt, incredibile videri, in ſubitis illis colloquijs poſſe, ne minimum quidem, nedum per totum diei ſpatium, ex tempore verſus ita concinnos fundere, qui meditatione multa potius indiguiſſent, & roſis, ut aiunt, vnguibus, atque ea cauſa fuit, quia nimirum & decorum, & veriſimile turbaretur, vt illis poetis detraxerim verſus, & ſolutam adiudicarim orationẽ. num id meminiſti? PAVL. Quid ni? verum nonne & tu meminiſti, me ad hunc vſque locum diſtuliſſe rationum illarum ſolutionem? LIMP. ſic eſt. Sed ſine quęſo tantiſper, dum ea perficio, quæ de verſibus heroicis inchoaueram. PAVL. Perge. LIMP. Dico igitur iſtis ueriſimilis, & decori detrimentis, verſus nõ eſſe ſubiectos epicorum. MARCEL. Hoc opus, hic labor. nam ſi non illi, nec iſtos ego arbitror, aut ſi alteri, & utroſque. LIMP. Habeo quaſdam ego rationes, quibus uideor id poſſe confirmare; iure ne, an ſecus, uos ipſi iudicabitis. *Primum ergo, perſonæ, quas colloquentes epicus introducit, pleraque ſunt illuſtres, & graues; itaque non adeo diſceditur à decoro, ſi verſibus inter ſe loquantur. Deinde eiuſmodi collocutiones minime totum complent epicum poema; relinquitur aliquando poetæ ſuus dicendi locus, cui verſibus loqui non modo licet impune, ſed maxima quoque cum laude: quamobrem, & ſi aliqua & hic, minor ſit tamen hac de cauſa decori iactura. Praeterea, quod eleganter ſane fuit a Platone declaratum, Epicus poeta cum aliquos inter ſe loquentes inducit, non tam perſonam, & dicta ſua celat, quam orationem ſuam alienæ ſimillimam reddere conatur: at Comicis, & Tragicis omnino ſecus, & dicta, & perſonas proprias celant omni tempore. itaque in Epopæia & ſi Agamemnonem, aut Turnum loquentem audiamus, non tamen hi carminibus differentes concipiendi ſunt à nobis, ſed ipſe poeta eorum dicta, quæ aliter pronunciata fuiſſe exiſtimari poſſunt, carmine cõplexus: quare uerba Turni, et Agamẽnonis, quæ ſoluta oratione prolata fuiſſe veriſimile eſt, ab Homero, & Virg. verſibus exprimũtur.* PAVL. Ingentem ſane laborẽ, ſudaſti Limpi, dũ

iſtis machinis,& uineis, hos miſeros oppugnas Comicos, & Tragicos,& rurſus illos epicos liberas,& tueris. At huiuſmodi machinæ tanquā imagines,& ſpectra quędam,in aere uolitant, nec ueri ſolidam effigiem tenent; ſed agitatæ ueritatis flabello, ſtatim euaneſcent. Nam illa tua prima ratio quam quæſo uim,quod robur habet? Epicus poeta perſonas inducit illuſtres,& graues,uerſu loquentes, minus ergo ueriſimile, minus decorum concutitur. Omitto iam,hac ratione labefactari quoque decorum,& ſi tua ſentētia,minus, at quod minus eſt,non mutat ipſam labefactandi ſpetiem uerum hoc omitto.quid autem? illuſtres uiri, atque adeo reges ipſi, aptiores ne tibi uidentur ad uerſus conficiendos,quam quiuis alius,mediocri loco natus? quis grauioribus iſtis uiris tantam eſt carminis elargitus facultatem,alijs negauit. negotia quidem plurima,& magna, quibus omni tempore tui reges iſti ſunt implicati, eos potius ab ocioſis huiuſmodi curis plane deterrent:mediocres hæc ratio magis decet, qui uel egeſtate coacti,uel ocio inuitati, quo plurimo affluunt,ad huiuſmodi ſtudia minus ægre ſe dedunt.Sed non repugno,ſit hoc regū, & principum uirorum proprium ornamentum, & tanquam hæreditarium eis à maioribus relictum; ut, ueluti Marſi, uel Pſilli ad ſerpentium ictus, ſic iſti ſint ad carmina nati; quid? non ne & Tragædia ſuos habet principes, & graues uiros? imo grauiores plerunque,maioreſque, quam Epopæia? Cur perſonis inſignioribus,Epicis quidem cōuenit uerſus, ijſdem uero Tragicis non conuenit? Cur illos probas,hos mulctas? ſi non differunt inter ſe dignitate,cur differunt pæna. quorū dignitatis præmium eſt excuſatio ad impunitatem,cur eorundem ratio immutatur ad pœnam,nihil immutatis rebus?Cur in pari dignitate, parique peccato, non paria ſunt ipſa pręmia meritorum? Dixin'tibi antea, te partium ſtudio duci? Iam uero alterius rationis leuitatem haudquaquam maiore flatu diſſipabimus. Cūm enim in Epopæia minorem fieri dicis iſtius decori perturbationem,quod ipſe poeta ſæpe loquatur,in Tragædia maiorem; quia nunquam, non ne partem magnam Epici poematis eodem plane crimine condemnas,

quo Tragædiam? & aperte confiteris, illam ipſam partem, quia decorum peruertat, eſſe ſoluto ſermone ſcribendam, ut Tragædiam, reliquæ uero, in qua poetæ perſona loquatur, uerſum poſſe iure permitti? Cur hæc noua cogimur in poeticam inducere monſtra? cur quod eſt uitioſum, & ueriſimili repugnans, in Tragædia cenſes eſſe mulctandum, in Epopæia non ſolum excuſas, ſed etiam laudas, & admiraris? unde tu nactus es hanc in poetica poteſtatem, ut eodem in genere peccati, alterum prorſus abſoluas, in alterum aſperius animaduertas? At loquitur enim hic aliquando poeta: ergo pars hæc immunis alteri cauere poterit obnoxiæ? Quin hac ipſa tua ratione, iam Epicum poema deſtruitur, & huiuſmodi poeta non erit omnino poeta. Nam ſi, cum perſonas inducit, in verſu fit veriſimilis, vt tu ais, & imitationis aliqua iactura; cum ipſe loquitur poeta, vt Ariſtoteles, ne imitator eſt quidem, quis hoc non intelligit, iſtum poetam, & cum ipſe loquitur, & cum alios facit, occultata ſua perſona, loquentes, prorſus in imitatione peccantem, nullo modo poſſe, ſi tibi & Ariſtoteli credamus, appellari poetam. quid enim ait Ariſtoteles? audi. Αὐτὸν γὰρ δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν, οὐ γάρ ἐστι κατὰ ταῦτα μιμητής. *quam minimum debet ipſe poeta loqui; in hoc enim non eſt imitator*. Secunda igitur illa tua ratio, facili, vt vides, negotio corruit. Et iam res deducta eſt ad Triarios, atque ad tertiam te recipis aciem, in qua videris exultare, ac nobis inſultare ferocius, quaſi melius tibi priora proceſſerint. verum vide ne tui te ſocij prodant, & Platonis auctoritas illa plane deſerat. is enim, ſi neſcis, aduerſatur tibi, nec fauet Ariſtoteles. Diuerſam eſſe rationem ais, Epici poetæ, atque Tragici: & huiuſce varietatis affers etiam cauſam: Quod Epicus, dum ſuos illos loquentes facit, perſonam ſuam non celat, cęlet autem Tragicus. Epicus præterea orationem ſuam alienæ ſimillimam reddere conetur, & a ſe quærat ad loquentes, ſimilitudine quadam orationis, auditorum mentem auocare. & denique Agamemnonem, ais, aut Turnum, non tam loquentes induci, more Comicorum, aut Tragicorum, quam ſimilitudine orationis effingi: itaque nos non concipimus Agamemnonem

mnonem carmine diſſerentem, ſed poetam ipſum eorum di ctã carmine complectentem. Hæc, niſi fallor, eſt pene tota rationis tuæ vis; & probatio, valde mehercule inuoluta, & perturbata, uix ut hunc inde ſenſum elicere potuerim; multa præterea congeris, & conſarcinas, quæ nunc repetere non eſt opus.. eodem enim omnia corruent argumento. Nam vt tibi concedam, vera eſſe, quæ ſunt hic à te dicta omnia, quæ mox tamen accuratius examinabimus, Epicum poetam ais, Homerum, & Virgilium, exempli cauſa; mentem auditoris ad Agamemnonem, uel Turnum, ſimilitudine orationis, auocare, & illis orationem ſuam ſimillimam reddere. audio. ſed nonne & hoc ipſum Euripides, & Menander, nonne Terentius facit? nonne Sophocles orationem ſuã alienę, illis inquam, quos loquentes inducit, Vlyſſi, vel Iphigeniæ, ſimillimam reddere conatur? & ad illos mentem noſtrã prorſus auertere? & quemadmodum in Epopæia nemo eſt, qui illud ignoret, ab Agamemnone, uel Turno prolata uerba, & uerſus, non Agamemnonis eſſe, uel Turni, ſed Homeri, uel Virgilij, ſic etiã in tragædia, uel comędia, neminem itẽ fugit, quæ Dauus, aut Pythia, aut Oedipus loquitur, ea non ipſorum eſſe, ſed uel Terentij, uel Aeſchyli uerba, & ut illius poetæ uerba laudant, & admirantur omnes, non ut hiſtrionis. Proponamus enim hos duos nobis poetas inter ſe diſtinctos, ex altera parte Epicum, ex altera Tragicum. Epicus quidem diu meditatus carmina, demum Achillem faciat loquẽtem, aut Therſitem, atque hos dicas, non ex tempore dicere, ſed epicũ, qui eos induxit, cogitato uerſus exaraſſe. quæcunque in hanc partem tu conferes, eadem ego ſtatuam in alteram; Tragicum poetam dicam, diu meditatum ſua carmina, tandem introduxiſſe loquẽtem Oedipum, Thyeſtem, & hos non ex tempore loqui, ſed tragicum, qui illos effinxit inter ſe colloquentes, carmina per ocium commentatum. Ac deniq; ubi tu nominabis Epicum poetam, ego comicum aut tragicũ continuo; ſi quando tu dices, perſonæ non ex tempore loquũtur in Epopæia, ſciunt enim omnes, ea quæ dicuntur ab illis, à poeta fuiſſe conficta, & ego, nec tragicos actores improuiſo

reci-

recitare,cum ignoret nemo,quæcumque tranſigunt illi, poetam id excogitaſſe.denique par pari perpetuo referam. Sed hoc ſcilicet te decepit,quod pro poeta,in Epico quidem poemate,eum ipſum ſumpſiſti poetam, quem dicis non ex tempore, ſed diu meditata poemata componere,in quibus intro ducit & ſeruos,& reges,& alios,inter ſe colloquentes:in Tragico uero,uel comico, non poetam, qui eodem plane modo conſcripſit;& eoſdem induxit agẽtes,ſed loco poetæ,hiſtrionem,& actores repoſuiſti,abiecta poetę memoria,ac ſi nullus unquam fuiſſet,nec illius opus ageretur. ſi enim erepto nobis & omnibus hominibus, aliquo caſu(fingamus hoc,sũt enim liberæ cogitationes noſtræ)ſi erepto nobis intellectu,ac mente,qua cuiuſnam ſit illa tragædia,uel ſaltem alicuius eam eſſe ſcriptoris nouimus,in ſolos actores,& hiſtriones animum intenderemus, fortaſſe locum haberet aliquem illa tua ratio. nunc uero aliquos eſſe,& ſi raros,adeo mẽtis expertes,ut hoc ſibi perſuadeant,non nego equidem;maximam uero partem nego. Quare, cum ais, non ſubito ſua carmina fundit epicus poeta,ſcito,nunc ſaltem,nec ſubito ſua fundere tragicum. Indecorum eſt, tragicam perſonam, quæ ex tempore loquitur in ſcena,verſus facere,indecorum item fuerit,Didonem iam iam morituram, aut Mezentium multis vulneribus confoſſum,& iam expirantem,in ipſo mortis confinio & ipſum ex tempore tam eleganti,& elaborato carmine ludere.At enim, qui Mezentium effingit loquentem,meditatus eſt orationem & verſus illius antea. quid? non ne meditatus eſt Aeſchylus, qui Oedipum?Sed nihilominus Aeſchylo,& Sophocli curæ fuit, vt hæc meditationis ſuſpitio verſu iãbo,id eſt, populari ſermoni ſimillimo,tãquam obliuione quadã obrueretur. Vides ut illam tuam tam decantatam differentiam ad nullam redegimus differentiam?ſed potius ad conſenſum, & cõuenientiam ſummam?At loquitur in Epopæia quandoque poeta, in Tragædia vero minime. Hoc ſane tantum ſtatuit Ariſtoteles inter hæc poemata diſcrimen.Sed num hoc alteri potuit eripere verſum, alteri vero tribuere? Imo vero eodem in loco philoſophus & ijſdem verbis tua dicta refellit, mea confir-

mat.ait enim,hoc tantum differre, quod in epopæia loquitur interdum poeta.in cæteris autem egregie conuenire, in materia,& inſtrumento;nam vt antea audiſti. *Eodem*, inquit idem Ariſtoteles, *inſtrumento, & eadē imitari poſſumus*,ἐν τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὰ αὐτά. Sed differētia ſolū erit τὸ ὡς,*in modo*.quonam modo?*vel enunciantes*,inquit,*idque ſiue occultata quandoque perſona,vt fecit Homerus,ſiue nunquam,vel omnes agentes & efficientes aliquid,imitati,vt in tragædijs & comædijs:Quare is ipſe Sophocles partim idem imitator erit cum Homero,quod vtrique imitentur bonos, partim cum Ariſtophane, quod agentes*, δρῶντας, *ideſt,in actibus occupatos,imitentur*,Vides, quam aperte tuam opinionem excludat,congruere aſſerens cum Epico Tragicū inſtrumento,& perſonarum qualitate, quas inducit vterque, vna re tantū diſſidere,ἐπαγγελίᾳ, inquit,*enunciatione*; quod alter continuatam ſequatur,alter interruptam, imitationem; reliqua vero omnia, quęcunque inſunt Epopæiæ, cumulate ſibi vēdicare tragędiam.vides,inquam,nullius ex illis tuis differentijs hic fieri mentionem,atque cogitatas illas perſonarū occultationes,& cæteras nugas, euaneſcere velut fumus. Verum ſi perpetua poeticæ perſonæ,velut in tragędijs,& comędijs,occultatio, verſus vt adulterinos, & fucatos expungit,eiuſdē aliqua narratio,vt legitimos,& ueriſimiles,recipit,quid paſtorali poemate fiet nobis?quid Virgilio in Bucolicis,quid Theocrito in Idyllijs?reijciemus hos obſecro, qui paſtores inter ſe,& coram alijs,continuato ſermone loquentes faciunt, nec vſquam poetæ perſona conſpicitur,aut uox auditur? Parum admodum a comædijs,quod ad agendi rationem pertinet, illa videntur paſtorum differre colloquia. quare perturbatur & ibi decorum, ac dignitas omnis. neque enim veriſimile,paſtores ea carmina fundere.Sæpe igitur in alias tibi neceſſe erit incidere difficultates,& anguſtias,Limpi, dū ex primis conaris emergere. Aut igitur Epicum errare dicas, una cum Tragico,aut ſi alterum excipis,neutrum. Verum extra rem fortaſſe minime fuerit,illum ipſum Platonis locum, unde huius manauit initium diſputationis,adſcribere. Is autem tertio de Republica libro, ſic ait, *noſti igitur vſque ad ea verba*,

ba, Precatus omnes Achiuos, Atridas maxime, duo populorum ornamenta, ipſum poetam loqui, neque conatur alio mentem noſtrã conuertere, tanquam alius aliquis, quam ipſe loquatur; deinceps autem ita loquitur, ac ſi Chryſes ipſe ſit, atque quam maxime conatur efficere, vt nobis non Homerus is eſſe videatur, qui loquitur, ſed ſacerdos ſenex. Et paulo poſt. *Verum cum orationem aliquam profert, tanquam alius quidam exiſtens, nonne tunc dicemus, orationem ſuam ei quam ſimillimam reddere, quem introduxerat loquentem? An non alteri ſe ſimilem reddere vel figura, vel voce, eſt eum imitari, cui facit ſe ſimilem? In hoc igitur, vt videtur, & hic, & alij poetæ per imitationem narrãt. Aſſentior. ſi autẽ ſe nunquam celaret poeta, vniuerſa ſine imitatione eſſet, & poeſis & imitatio facta. Scito igitur, contrarium huic accidere, cũ quis interpoſitum poetæ ſermonem auferens, alternum, & mutuum relinquit. Et hoc,* inquit, *noui circa tragædias huiuſmodi quidam exiſtere. Recte opinatus es, & nunc tibi aperire poſſe me arbitror, quod antea nõn valebam, poeſim, fabularũque fictionem, hanc quidem per imitationem eſſe totam, vt tu dicis, tragædiam, & comædiam, aliam per ſolam poetæ enunciationem, quem repones in dithyrambis, aliã vtroque modo, vt in Epopæia, & alibi.* Hæc ſunt Platonis uerba, paulo diligentius a me multis de cauſis recitata, primum, ut perſpicue cerni poſſet, a Platone differentiam inter epicos, & dramaticos, recenſeri nullam, præter imitationis aut ſolius, aut una cum enunciatione permixtæ; nullum autem interea commemorari uerſus, & orationis ſolutæ diſcrimen. Tum autem, utroſque poetas imitando, maxime perſonas ſuas celare. Tragicos quidem, & comicos, tu ipſæ fateris, epicos uero cogeris fateri. Si enim neges, huic ipſi Platoni, bis idem affirmanti fortaſſe imprudẽs, aduerſaris. cũ enim ſic ait. ſi autem ſe nunquam celaret poeta, uniuerſa ſine imitatione eſſet & poeſis, & narratio, nonne manifeſte pronũciat, aliquando ſeipſum celare poetam epicum, quando nimirum imitatione utitur? miror enim illius tibi logicæ concluſionis non ueniſſe tandem in mentem, quę, negato cuiuſq; dicti conſequente, negari continuo iubet id, quod antecedit. rationantur igitur hoc modo. ſi ſe nunquam poeta celaret, ſine imita-

tatione conſiſteret omnis poeſis, uerum nulla poeſis imitatione carere poteſt, non ergo uerum eſt, nunquam ſe celare poetam. Id etiam ſuperiora uerba declarant, *Deinceps autem* (inquit) *ita loquitur, ac ſi Chryſes ipſe ſit, atq; quã maxime conatur efficere, vt nobis nõ Homerus is eſſe uideatur, qui loquitur, ſed ſacerdos.* At.n. cõcipimus interea illũ eſſe Virgilium, aut Homerũ; negat? Concipimus etiam Euripidẽ, & Ariſtophanem, aut quis Senecam. Satis.n. eſſemus fatui, ſi ſecus crederemus. Falſum & illud eſt, Epicum non loquentes inducere, ut Tragici faciunt, & Comici. ait, enim, vt audiſti Plato, orationem ſuam ei quam ſimillimam epicum reddere, quem introduxerat loquentem. Celat ergo propriam perſonam, & alteri ſimilem effingere conatur imitando poeta, ea tamen lege, vt vlterius ad poematis pulchritudinem, atque ſcriptoris præſtantiam contemplandam excitetur animus, non enim eos obliuiſcimur omnino, quorum illa ſunt poemata, & in ſolos actores mentem omnem plane defigimus, ſed dum hos audimus, ad illos euolat animus, & eodem quaſi tempore his aures, illis cogitationem impartimur. id autem elegantiſſimis verbis affirmauit etiam ille magnus philoſophus Maximus Tyrius, dicens: Τὸ μὲν τῶν ποιημάτων κάλλος ἓν, καὶ ταυτὸν, ἐάν τε δυνάστης ᾖ ὁ λέγων, ἐάν τε οἰκέτης, αἱ δὲ χρεῖαι τῶν δραμάτων μεταποιοῦσι τὰ σχήματα, ὁ Ἀγαμέμνων τὸ σκῆπτρον φέρει. & Ἀποτείνεται γὰρ ἡ ψυχὴ ἐπὶ τὰ ποιήματα, οὐ τὰς τύχας τῶν λεγόντων. *Poematum pulchritudo*, inquit, *vna, & eadem eſt ſiue potens vir loquatur, ſiue ſeruus; vſus antẽ fabularũ immutant perſonas, Agamẽnon ſceptrũ fert.* Item, *Auocatur antẽ animus ad ipſa poemata, nõ ad fortunas loquentiũ.* Audis quot modis te vir iſte coarguat? pulchritudinẽ poematis, ait, eandẽ eſſe ſemper, quicunque loquatur, nec uariari quicquam agentis ſeruuli conditione, & animum noſtrum, non in fortunis agẽtium inſiſtere, ſed ad poematis pulchritudinem ſe erigere. Horum non diſſimilia Lucianus protulit in dialogo de Gymnaſijs. Cũ enim Anacharſis Scytha mirari ſe diceret, quod in theatro uidiſſet populum lugentem quorundam calamitatem, qui uincti compedibus erant, reſpondet Solon, & ait, Οὐκ ἐκείνους ὦ 'γαθὲ ᾤκτειρον, ἀλλὰ

ποιητὴς ἴσως ἀρχαίαν τινὰ συμφορὰν ἐπεδείκνυτο τοῖς θεαταῖς, καὶ ῥήσεις οἰκτρὰς ἐτραγῳδὴ πρὸς τὸ θέατρον, ὑφ᾽ ὧν εἰς δάκρυα κατεσπῶντο οἱ ἀκούοντες: *Non illos, vir optime, lugebant, ſed poeta fortaſſe antiquam aliquam ſpectatoribus calamitatem oſtendebat, & ſermones miſerabiles tragicũ in modũ edebat ad theatrũ, quibus in lachrimas concitabantur audientes,* Poeta, inquit, oſtendebat populo antiquam alicuius calamitatem, non ſeruus, aut muliercula, ut tu arbitraris, poetæ nomen penitus obſcurans, & poetæ dicta, inquit, lachrimas eliciebant, non illius quem videbantq in ſcena. Tu vero putas illum eſſe vere ſeruum, & ipſum ea componere, quæ loquitur, nec agnoſcis poetam vllũ, & mentem auditorum vinculis aſtringis, & illi præſcribis, ne ſe inflectat alio, neu quenquam niſi ſeruum cogitet ea loquẽtem; poeta vero ſua ſibi habeat. Sed redeo ad rem ipſam; & aſſero, Platonem, aut Ariſtotelem, cum de imitatione, hoc eſt de veriſimili, ac decoro loquuntur, nunquam ad iſtam verſus, & ſoluti ſermonis diſtinctionem deuenire, ſed ad mores, ad ingenia, ad habitus, ad inſtituta, ad artes, & actiones omnes hominum, non ad ornatum & poeticam artem, imitationem pertinere dixerunt. ſublatis enim ornamentis, omnem planè poetarum, & oratorum etiam, vim, & pulchritudiné cadere neceſſe eſt, & interire. Nõ .n. ad illã accuratã, perfecteq; abſolutam imitationem, omnia ſunt reuocanda. ridendos enim ea ratione diceres hiſtoricos omnes, qui ſæpiſſime, vel Scytham, vel Arabem, aut aliquem denique iamdudum ex vltima Thyle venientem, non modo regione, & Climate, ſed etiam moribus, inſtitutis, & lingua, barbarum, latine loquentem inducunt, aut Attice, idq; tanta puritate, quanta pauci, qui ſint in ea lingua nati, & diuturnis laboribus exercitati. ſic ornate, veluti modo è medio Romanorum, vel Athenienſium foro digreſſi. num igitur veriſimile aut Penum, aut Aethyopem, eadem ſermonis venuſtate, qua Titum Liuium, aut Thucididem, loqui? Scytham qua Herodotum? Verum hoc & hiſtorici ſæpiſſime faciunt, & oratores non raro; nec veriſimili tamen id obeſt, aut decorum corrumpit; quemadmodũ neque ſi Troiana muliercula non ſolum latino, ſed etiam Vir-

giliano carmine lugeat. *Heu terra ignota, canibus data præda Latinis, Alitibuſque iaces.* Intelligis igitur decoram, & probam in poetica imitationē, ad actiones eſſe referēdā; imitamur. n. in Tragædia, non homines, inquit Ariſt. ſed actiones, & vitam; & τοὺς δρῶντας, agentes, bonos, vel malos, vel mediocres, non tamen abſque metro, tanquam inſtrumento proprio, ex tribus vno, quæ ponuntur ab eodem Ariſtotele. Qui niſi nugas iſtas putaſſet, profecto tantum in imitatione vitium tam turpiter non neglexiſſet; qui cum in arte poetica nos ad tragicam imitationem informet, & illius tum vitia tum probitates aperiat, atque ad hæc declaranda, verſus etiam tragicorum adhibeat, Euripidis, Sophoclis, Aeſchyli, nouas iſtas imitandi leges vel non agnouit, vel pro nihilo duxit. Secus enim bis reprehendendus fuiſſet, vel quia tradendis artis præceptis, tantum, & tam frequens illius artis incommodum tacuiſſet, vel quia Tragœdiarum etiam verſus attuliſſet, ad quos maxime illud imitationis vitium ſpectaret; & quos vt imitationi noxios refellere, ac reijcere prorſus opportebat, eos vt optimæ imitationis exempla reciperet. quo nihil eſſe poſſet ineptius. Neque vero defuerunt opportuna loca, quæ facile potuiſſent ipſum admonere, vt maximum in Tragædijs hunc errorem emendaret. Nam cum omnes Tragædiæ partes recenſuiſſet, & quid quamque ad imitandum deceret, quid nō deceret expoſuiſſet, nulla vſquam iſtius indecori facta mentione, cum ad elocutionem perueniſſet, ac multa de dictionis poeticæ decoro (τὸ ἁρμόττον appellat) præſertim uero tragicę diſſeruiſſet, tandem inquit, *Magnum quidem eſt, eorum, quæ dicta ſunt, ſingulis uti πρέποντως, cum decoro, duplicatis nominibus, & linguis; maximum vero metaphoras recte facere, porro duplicata* (inquit) *dithyrambis præcipue conueniunt; linguæ vero heroicis, metaphoræ iambicis. & heroicis omnia poſſunt eſſe, quæ dicta ſunt, vſui; iambicis vero, cum maxime ſermonem imitentur, ea nomina congruunt, quibus in ſermone quis vteretur, hæc vero ſunt, proprium, metaphora, & ornatus.* Quodnam obſecro tēpus fuit aptius ad tragicos verſus explodendos, ſi inutiles; & illis eiectis, ad Tragædiæ decorum accuratius conſtituendū,

niſi

niſi cum de iambicorum, hoc eſt de verſus tragici decoro uerba facit? quid adhuc expectabat artis magiſter ille ſummus? Cur uerſus is tragicos non modo probat, ſed etiam, quod mirum uidetur te non uidiſſe, quod nam illi uerſus ſeruare decorum debeant, apertiſſime docet? quod cum fecerit, nouum hoc decori genus, & ſexcentas, ſi quæ tandem erumperent, huiuſmodi nugas, excluſas, ac damnatas ab eo putabis. Quid in moribus, quid in ſententia, quid in conſtituenda fabula, quid in omni actione deceat, accurate perpẽdit in Tragædiæ præceptis tradendis, uerſus tragicorum inſerit, eos adhibet ut ſententiæ ſuæ teſtes, quæ non deceant oſtendit, & damnat, interea nec umbram quidem iſtius cogitati decori uidet. elocutionem denique, quod pertinet ad eius decorum, examinat, & quid cuique poematis generi, quæ nomina conueniant, aperit, de nouiſſimo iſto decoro, & ex antipodibus nouæ nauigationis auxilio fortaſſe nunc demum allato, mirum omnino ſilentium. Cur igitur tacuit? Cur tanto poeticæ vulneri mederi noluit? ſi, quia non uidit, imperitus, ſi, quia noluit, improbus. Sed fortaſſe neque non uidit, neque tacuit. nam quid ſibi uoluit ille philoſophus, cum, in Rhetorica ſæpe; bis, uel ter, opinor, in poetica, illud inculcauit, *Iambicos verſus eſſe ſermoni, cottidianæ loquendi formæ, orationi ſolutæ ſimillimos? elocutionem imitari, qua inter ſe vtuntur homines?* quod etiam & Cicero confirmauit, cum in oratore, tum alibi. Equidem arbitror id ipſum eum explicare uoluiſſe, quaſi diceret. Si quando contingat, ut aliquis alter Solon exiſtat, qui nimium ſibi placens, has tragicas a me conditas leges euertere, nouas promulgare, & tragicis uerſibus, ut decorum perturbantibus, eſſe uoluerit importunus, is ſciat, uerſus illos eſſe iambicos, orationi cottidianæ ſimillimos, ac fruſtra propterea timeri, ne quam inferant aut decoro, aut ueriſimili noxam. At ſunt illi uerſus omnino. Quid tua? Hanc ſibi natura Tragædiæ reperit eloquendi formam, ueluti magis aptam. tibi ſatis ſit, hanc eripi populo ſuſpitionem, cum illa locutio populari ſit quam ſimillima, nec in ea uerſus ita facile poſſis agnoſcere. Sic igitur fortaſſe liberabitur Ariſto-

teles omni calumnia. Denique ne uidear ambitioſe uelle nimium tuam ſententiam urgere, quod mehercule inuitus facio, ut in re tam futili tantum operę ponam, audi poſtremum illud hac in re argumentum. Ipſa natura docet in unaquaque re decorum, At Tragædia uerſu iambico ſcripta propriã eſt conſecuta naturam, ex his ergo ſequitur, Tragædiam uerſu iambico ſcriptam, ſuum obtinuiſſe decorum. Quid horũ negabis? ſi negandum eſt aliquid, præſtat utrumque. Sed utrumque ſum ab Ariſtotele mutatus. Inquit enim in poetica, quod pertinet ad aſſumptum: *Tragœdias poſt multas mutationes conſtitit, ac propriam nasuram eſt adepta, quo tempore* (inquit) *Aeſchylus, & Sophocles hiſtrionum numerum, & fabularum magnitudinem auxerunt, elocutio ex ridicula, facta grauior, & metrum ex tetrametro Iambicum, cum ipſa Tragœdiæ natura proprium ſibi metrum reperiſſet.* Propoſitio poſita eſt in his verbis, Ἀλλ᾽ ὥσπερ εἴπομεν, αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει τὸ ἁρμόττον. *Ipſa natura docet, vt diximus, quod decet.* Ait autem (*vt diximus*) innuens quod eſt in aſſumpto poſitum, Αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε. *Ipſa natura proprium ſibi metrum reperit.*

Sed uideamus obſecro, num ex M. Tullio poſſimus, aut aliunde, quale ſit hoc decorum expiſcari, fortaſſe enim aliquid abrademus, quod hac in diſputatione nobis ſit uſui. Is igitur Cicero in oratore ad Brutum, in hoc ipſum, de quo loquimur, decorum, forte cum incidiſſet, ait. *Huius* (decori) *ignoratione, non modo in vita, ſed ſæpiſſime & in poematis, & in oratione peccatur.* His poſitis, iam ſic diſputo. Si poetæ, quia carmine ſcribunt, hac ratione decorum, & uериſimile turbarent, non ſæpiſſime, ſed ſemper, Cicero dixiſſet. Semper enim uerſu, nunquam proſa, ad illam uſque ætatem, uſi fuerant; aut utebantur poetæ. At quando peccant in decoro, poetæ? ab illo ipſo Cicerone accipe. *Cum probam orationem affingit improbo, ſtultove ſapientis.* audiſti? non dixit, cum uerſum affingit ſeruo, uel mulierculæ, ſed orationem probam improbo, in moribus, & ingenijs, ac naturis poſitam eſſe, ſignificans, imitationem. *Non omnis fortuna, inquit, omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec vero locus, aut tempus,*

aut

aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum. Quid autem illa particula, *Verborum genere*, ſibi uelit, id etiam declarat, inquiens. *Quam enim indecorum eſt, de ſtillicidijs cum apud unum iudicem dicas, ampliſſimis verbis, & locis uti communibus, de maieſtate populi Romani ſubmiſſe, & ſubtiliter.* Semper ut uides, morem in oratione requirit, nuſquam verſum aut accuſat, aut probat. Carolus Sigonius, qui noſtra ætate floruit, & magnum eſt conſecutus in his litteris nomen, in libello, quem de Dialogo ſcripſit, de poetico decoro & ipſe loquens, ait. *Iam vero decorum poeticum cum in imitandis moribus hominum, tum in conuenienti affingenda oratione, verſatur.* Quænam eſt iſta conueniens oratio Sigonio? cum prius de moribus egiſſet, poſtea ſic ait. *Poſtremo oratio conueniens affingetur, ſi præcepta, quæ diximus ex libris oratorijs repetentur, in quibus perturbationes, & mores hominum, maxime ab Ariſtotele pertractantur, quæ in hunc locum inde transferre, prope alienum, atque ineptum videretur.* Hæc Sigonius, in quibus, tanquam æquus iudex, antiquam poſſeſſionem, verſum inquam, quod pertinet ad decorum, non eripit poetis. Hæc autem, & ſi pluribus a me fuerunt, vt audiſtis & probata, & roborata, vt ne Limpius quidem ipſe, cui propter vbertatem ingenij, nec veritas ipſa videtur aliquando ſatisfacere, plura iam deſideret, poſtremam hanc tamen Platonis auctoritatem nolui prætermittere, quæ cum illis, quæ dicta ſunt antea, magnopere, meo iudicio, congruit. Is autem 10. de Republica libro ſic ait. Τούς τε τῆς τραγικῆς ποιήσεως ἀπτομένους ἐν ἰαμβείοις, & ἐν ἔπεσι, πάντας εἶναι μιμητικοὺς ὡς οἷόν τε μάλιστα. *Quicunque tragicam*, inquit, *poeſim attingunt, & iambis, & carmine, ſunt omnes imitatores quam fieri poteſt maxime.* Audis? Maxime, quam fieri poteſt imitantur, inquit Plato. quomodo autem imitantur, ſolutane oratione, an aliter? iambis, inquit, & verſibus. At decorum? quid? tu ne Platonem doceas decorum? MARCELL. Ego vero, niſi moleſtus ſim, illud hac in re mihi reſponderi vehementer velim, Euripides qualis poeta fuerit? Seruaritne ſuis in Tragædijs decorum, & veriſimile, an contra perturbarit? ſi, quod magis decet, ſer-

uaſſe

uaſſe dicas, nihil eſt, quod amplius diſputetis, habet, opinor, Paulinus, quod iamdudum quærit, in Tragædijs verſu ſcriptis ueriſimile poſſe retineri, ac tibi Limpi ſecundas cogitationes gratulabimur. Si negabis, ut te facturum potius arbitror, tum oſcitanter dicemus, ac ſolute nimis te vidiſſe, quæ libro tertio Rhetoricæ artis doceat Ariſtoteles; qui veriſimilem, & decoram orationem tractans, & quomodo ſeruum loquentem, quomodo nimis adoleſcentem inducamus, ne veriſimile peruertat, exquirens, ait, latenter, ac furtim agendũ eſſe, quaſi natura ſic loquamur, nõ induſtria, & arte: ſic enim fiet oratio veriſimilis. Quonam autem modo iſtuc ipſum aſſequemur? Κλέπτεται δ' εὖ; inquit, Ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συνθῇ, ὅπερ Εὐριπίδης ποιεῖ, καὶ ὑπέδειξε πρῶτος. *Occulitur autem optime, ſi quis ex vulgari, conſuetaque loquendi forma ſeligat ea, quibus componat orationem, id quod Euripides facit, & oſtendit primus.* Quod igitur faciendum præcipit Ariſtoteles, vt decora ſit oratio, & veriſimilis, id Euripidem in ſuis Tragædijs facere, & primum omnium docuiſſe teſtatur. Quid adhęc reſpondebis Limpi? aut quid excogitare præterea poteris? ſi rimam hic aliquam repereris, non tu quidem fefelleris opinionem de te meam, ſed ego fortaſſe de me tuam, & omnium. PAVL. Optime quidem, ac lætor, tam egregium, & opportunum additum à te rationibus meis ſubſidium. Ex his igitur illud patet, minime ſeruum eſſe, aut mulierculam, quæ imitetur, ſed ipſum poetam, ſerui, vel mulierculæ, perſonam induentem, aſſumpta nimirum extrinſecus ex ipſo ſeruo, tantum actione, moribus, & fortuna, ex ſua vero ipſius ſapientia, cæteris artis adiumentis, & omnibus inſtrumentis, quæ non ſolum ad imitationem, ſed etiam ad ſuauitatem, ad vim, ad pulchritudinem, ad motum animorum, ſint accommodata. quæ quidem omnia ſi tu poemati detraxeris, non poeticam, id eſt omnibus numeris abſolutã, & pulcherrimam, ſed popularem, ac plebeiam, effeceris orationem, languidam, & inertem; quod & experientia comprobauit, & à Platone fuit in Gorgia confirmatum, cum dixit, *Age vtique ſi quis auferas ex tota poeſi concentum; rhythmum,*

& me-

& metrum, aliud ne quicquam, præter ſermones quoſdam, ſuper erit? profectò ad turbam, & populum hi ſermones habentur. Habet ergo poeſis, vt audiſti, concentus, rhythmos, & metra, quibus præſtat orationi communi, & populari. Cur igitur eas tu illi auferas dotes, quibus effectum eſt, vt non ſit omnino popularis, & plebeia, & vt alia quadam lingua loquatur, quam populus? Videsne, poeſim non poſſe ſpoliari metris, ac proprijs inſtrumentis, quin ad aliam à ſua naturam, & ad alios eam potiſſimum vſus, traducas? His igitur poſitis, iam intelligis illam primam rationem vniuerſam ruere, quæ decorum in Tragædijs, & Comædijs, atque adeo veriſimile, carmine perturbari, peruertique ſtatuebat. Neque ſecunda firmitudinis habet, aut roboris quicquam, qua tu dicebas, & ante te probauerat Auguſtinus, *Nullum ex Tragædijs, & Comædijs, carmine ſcriptis, percipere fructum, atque vtilitatem auditorem poſſe, obſcuritate, difficultateque verſus, & inſolito dicendi genere prohibitum, quod quidem vix aſſequi vel eruditi poſſent.* hæc inquam ratio non erit illa prima fęlicior. etenim ſi quis priſtinam tragædiæ formam accuſans, eam immutandam cenſeret, id ille profecto efficeret, vel quod nondum illa finem fuerit ad epta ſuum, vel quod aliquem alium finem eidem illi cogitaret affingere. verùm alium his artibus velle conſtituere finem, quam delectationem, & vtilitatem, audacis hominis eſſet, & imperiti. Sed hoc nemini in mentem uenit vnquam. At nondum ſuum eſt aſſecuta finem, & perfectionem, & ideo in ſolutam orationem retexenda. Sed primum tecum ipſe pugnas, qui Platonem dicere ſoles, nimia delectatione permotum excluſiſſe tragicos; Deinde cum Ariſtotele decertas, qui, præter antea dictam ſententiam, tragædiam poſt multas mutationes, tandem propriam adeptam eſſe naturam, in fine poeticę artis accurate probauit, ipſam magis finem ſuum conſequi, quam epopęiam, & ideo præſtantiorem. ex quo vides, ratione finis, nihil de tragædia immutandum. Quin ibidem ille comparans tragædiam cum epopęia, quærit, quænam imitatio melior, epopæiæ ne, an tragędię, ac denique concludit, mul-

tis de cauſis tragicam imitationem epica præſtantiorem: quod ſane minime feciſſet, ſi tragædiæ vitioſa fuiſſet, vt tibi videtur, imitatio, ac decorum perturbaret; aut hoc ipſum innuiſſet aliquo modo ſaltem; ne nimis imperitus eius artis videretur, quam tractaret. nec eſt, quod ad tuas te referas artes, & ad vana perfugia, quod eo loco tragædiam intelligat Ariſtoteles, omni verſu ſolutam. Eam nempe, quæ non dum extabat, & de qua nuſquam in tota poetica ne verbum quidem. Superiora namque præcepta, & exempla, ducuntur ex tragicis poetis, qui ſeculis illis floruerunt, quorum nemo nõ verſu ſcripſit. eo uero poſtremo poeticæ loco, & uerſus præcipue meminit, quod ſit illi cum epopœia communis, & muſicæ, & Sophroclis, vt anſam tibi abſtulerit omnem iſtud hac in diſputatione cogitandi. Verum enimuero tu rectius illud conſideraſſes à philoſophorum diſciplina non alienum; Si quis ſolutum ab aratro bouem ita conſterneret, vt equum ad curſum, huic autem bouis officia tribueret, non ne legis naturæ uiolator hic eſſet, animalibus iniurius, artium ignarus, & ad uſus inutilis? Quid hoc abſurdius, quam, ſi quis ademptis generi uolatilium alis, illud ad quadrupedum officia cõpelleret, hominem rurſus auis inſtar alis munitum, aeris regionem incolere cogeret? non eum ridiculum hæc permutatio redderet? quando neque fabula Dedalum abſurdas huiuſmodi permiſit exercere, quas ſibi propoſuerat, artes, ſed eius filium una cum illis alis, quas patris ingenium confixerat, ex aere deorſum deturbauit in terram. Carthaginenſem quendam ferunt, cum is adoleſcentem Leonem cicurem, & manſuetum reddidiſſet, impoſitis oneribus, uelut aſellum, per urbem agere ſolitum. hunc autem captum interfecere Carthaginenſes, peruerſum ingenium deteſtantes hominis, natura tiranni, fortuna priuati. Vide ne tibi nunc idem contingat abſurdum, naturam poematis in proſam diſſoluenti, & ex proſa poemata conglutinanti, non aliqua, ſed ſumma prorſus illius tui decori iactura. Stet Sonipes bello, uitulum ſine creſcat aratro. Obſcuros eſſe iambos ais, & difficiles, & inſolitum dicendi genus accuſas. iniquus es profecto. quid eſt

enim

enim tam ad populares aures accommodatum, tam facile, tam vulgarium aures implens, delectans, ac permulcens, tam naturæ noſtræ proprium, quam oratio uel comica, uel tragica, ab optimis quibuſque ſcriptoribus uerſibus hactenus expreſſa? quæ iambicum carmen ideo ſibi potiſſimum delegit, quod uerſus is eſſet omnium maxime ad cottidianum ſermonem, & ad communem omnium uſum, & intelligentiam, comparatus. Μάλιςα λεκτικόν. appellat eũ Ariſtoteles, Καὶ τὴν πολλῶν λέξιν. *vulgarium ſermonem, & orationi plurimorum ſimillimum.* Neq fuit hæc ſententia, & ſi tu id uideris negare, ignota Ciceroni, qui in libro, quem Oratorem appellauit, ita dixit: *Sunt enim qui iambicum putent, quod ſit orationi ſimillimus; qua de cauſa fieri, vt is potiſſimum, propter ſimilitudinem veritatis adhibeatur in fabulis.* in quibus paucis uerbis plures ſunt cõtra te ſentẽtiæ, quã uerba, ut una iudicij formula, nõ vno, ſed pluribus iudicijs condẽnatus diſcedas. Eſt inquit orationi ſimillimus iambus, non ergo difficilis, non inſolitus, & peregrinus auribus hominum uulgarium, niſi uis, orationem etiam ſolutam, illud ipſum habere uitij. deinde uerſum, inquit, adhiberi in fabulis; non ergo tragicis, & comicis interdictus, quando permittente Cicerone, impune poteſt adhiberi: poſtremo; propter ſimilitudinem ueritatis. quonã ergo modo poterit idem uerisimili contrarium eſſe, atque propter ueritatis ſimilitudinem adhiberi? Poteſt ne id, & difficile eſſe, & uerisimile perturbare, & exterminari iure, quod ſit orationi ſolutę ſimillimum, quod ob ſimilitudinem ueritatis iure ſuo adhibeatur in fabulis? ſed num ſemel hoc ait? iterum, & ſæpe. Eodem in libro apertius idem. *At comicorum,* inquit, *ſenarij, propter ſimilitudinem ſermonis, ſic ſæpe ſunt abiecti, vt nonnunquam uix in his numerus, & uerſus, intelligi poſſit.* Et rurſus. *In verſu quidem tota theatra exclamant, ſi fuit vna ſyllaba aut breuior, aut longior, nec vero multitudo pedes nouit, nec vllos numeros tenet, & tamen omnium longitudinum, & breuitatum in ſonis, ſicut acutarum, grauiumque vocum, iudicium ipſa natura in auribus noſtris collocauit.* Quoties in

tro, & breuioris, & longioris ſyllabæ, meminit? quæ quidem omnia uerſus cauſam egregie tuentur, quot modis hic oſtendit, populum non ſolum intelligere uerſus, uerum etiam exclamare, ac velut indignari, cum una tantum ſyllaba peccatur in verſu, idque nulla arte, ſed ipſa natura duce? LIMP. Ex his ipſis, quæ proxime ſunt à te dicta, non contemnendum, vt mihi videtur, argumentum emergit, quod etiam ab aliquibus dubitatum audiui, id vero huiuſmodi eſt. Si Iambum adhibent tragici, quia ſimilis eſt orationi ſolutæ, ergo magis ea ratione adhibenda ipſis eſſet oratio ſoluta, cui ſimilem elegerunt ſibi iambum. id vero ſequitur illius vi pronunciati, quod ait, *Cuius cauſa quidque tale eſt, & illud erit magis tale.* Si eligimus iambum ob ſimilitudinem ſolutę, magis ergo eligenda ſoluta. PAVL. Ad præſtigia confugimus Limpi, & ad deceptiones inanes. Effatum illud verum eſt, quando in utroque ineſt id, quod dicitur magis ineſſe alteri, vt, ſi amamus præceptorem propter filium, magis amamus filium. id quidem ſequitur, ſiquidem amor permeat ad vtrũque. ſed non eadem hic ratio eſt: eligimus enim iambum, ſed non ſolutam orationem, ſolutæ tamẽ ſimilem: ille enim placuit, quia verſus; hoc eſt mẽſura quadã conſtans, & ideo aptior ad ſuauitatem, ad ſermonem tragicum, ad muſicam, ad exprimendos affectus, ad plurima; nec tamen eſt difficilis, & obſcurus. hoc uero poſtremum habet quidem oratio ſoluta, reliquis tamen caret, quam nos reijcimus, ut inutilem tragędiæ, recipimus autem iambum, ut uerſum, ſoluto quidem ſermoni propinquum ob facilitatem, & decorum, iam dictis tamen qualitatibus præditum. Deinde, cum dicitur aliquid alterius eſſe ſimile, non ita ſimile dicitur, quaſi cum illo ſit idem, ſed ſimilitudinem in aliqua tantum qualitate notamus. eligimus itaque ſimilitudinem, non id, in quo eſt ſimilitudo. Chartam enim ad ſcribendum probamus, quæ ſit niui ſimillima, niuem tamen ad ſcribendum adhiberet nemo. Probatur ergo iãbus, quia non deſinens eſſe uerſus, tamen obſcuritate caret, ac ſi pedeſtris eſſet, requirimus ergo uerſum, & in uerſu ſimilitudinem quandam proſæ, non proſam ipſam. quod innuit Ariſto

teles illis uerbis in arte Rhetorica, Διὰ τὸ τῷ λόγῳ τοῦτο τῶν μέτρων ὁμοιότατον εἶναι τῶν ἄλλων. *quod huiuſmodi verſus*(iambus)*ſit cæterorũ orationi ſolutæ ſimillimus.* Verſus ideam non abijcere debet, ſed ea ſeruata, ſimilitudinem cum ſoluta conſeruare. Idē alijs tamen uerbis, quæ quodammodo uidentur Ariſtoteli repugnare, nos docuit Dionyſius, qui in libro de compoſitione dixit, Ὅτι κακία ποιήματος ἡ καλουμένη λογοειδία δοκεῖ τις εἶναι. *vitiũ poematis eſſe proſæ vocata ſimilitudo videtur.* Verum nõ repugnant hæc philoſophi uerbis, ſed ea interpretantur, ac diſtinctius idem præcipuunt, non enim omnis, & abſoluta ſimilitudo, uere diſſoluta, nugax, & libera, probatur, ſed quæ oritur ex arte, quæ certis pedibus conſtat, quæ uerſus ſtructurã relaxans, non deſtruit, in ſpetiem quidem ſoluta, re tamen aſtricta, quales ſunt uerſus præcipue Lyricorum. quonam uero id modo fiat, ipſe docet, & quædam affert ex Epicis, Iambicis, & Lyricis exempla. Hanc ſolutæ ſimilitudinem in tuis comædijs, & tragædijs, optimos auctores imitatus, ſi tu quæſieris, orationem effeceris orationi quidem ſolutę ſimillimã, poeticam tamen, & laudabilem, nec Ariſtotelico pronunciato repugnaueris: ſin minus, nõ Ariſtotelem ſolum, ſed omnes prope homines habebis aduerſarios. Vndique iam uidere potes, arcem expugnari rationum tuarum; quæ tantum abeſt, ut deſtruant in tragædijs, & comædijs, uerſus, ut potius excitent, & ſollicitent animum ad eorum cauſam ualentius confirmandam. conſequuntur enim huiuſmodi poemata, ex uerſu quidem ſuauitatẽm, qua delectant, ex huiuſmodi uerſu, quod audiſti, facilitatem, & intelligentiam popularem. quæ quidem duo complexus eſt. Plato, cum Tragædiam Δημοτερπέστατον, καὶ ψυχαγωγικώτατον τῆς ποιήσεως, appellauit in Minoe. *Ex uniuerſa poeſi populo conuenientiſsimam, & ſuauiſsimam.* Et Maximus Tyrius ſermone 29. artem hanc appellat δημοτερπῆ, *delectantem populum.* & Ἄκου[illegible]θρόν, καὶ δήμῳ φίλον, ἀγαπώμενον καθ' ἡδονήν. *auditionem d[illegible]atam; & populo gratam, ab eoque voluptatis cauſa libentiſsimis animis exceptam.* Intelligisne, quanta intercedat huic poematum generi cum populo familiaritas? num inſolitum dicendi ge-

nus,& obſcurum,illud tu dicis, quod ad popularem intelligentiam,& delectationem tantum eſſe factum, atque comparatum videtur? populo vt placerent quas feciſſet fabulas, laborabat Terentius,& id ſumma cum laude, ac plauſu penè ſemper aſſequebatur;& tu populo ingratas, obſcuras, & inſolitas aſſeris? Quot in Oratione pro P. Seſtio verſus Attij poetæ Tragici interponit,& recitat M. Tullius,quibus populum incitatum, & commotum ſcribit, quia,quæ dicerentur, ad ipſum Ciceronem, eiuſque cauſam, & calamitatem ſpectare viderentur?

O ingratifici Argiui,inanes Graij, immemores beneficij,
Exulare ſinitis, ſiuiſtis pelli, pulſum patimini?

Hanc autem orationem quonam modo percipere poterat, adeo caliginoſam, Populus Romanus? aut exiſtimare quid ea ſibi vellet ille poeta barbarus? verſus enim erant & obſcuri,& illius gentis auribus inſueti. aliquo ſcilicet indigebat interprete, qui tenebricoſos illos, & reconditos ſenſus,aperiret.Sed tamen neſcio quomodo idem Cicero ait. *Quæ tum ſignificatio fuerit omnium,quæ declaratio voluntatis ab vniuerſo populo Romano,in cauſa hominis non popularis?* Et eodem in loco. *Neque poetæ, quorum ego ſemper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt,eaque populus Romanus non ſolum plauſu,ſed etiã gemitu ſuo comprobauit.* Et. *Tum illa quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paulo poſt, in eadem fabula ſunt acta?* Quorſum quæſo ſpectabat ille populi gemitus? quorſum plauſus, & comprobatio? Si verſus non intelligebat quid plaudebat, quid gemebat? Cur populus idem in Theatro auditis Virgilij verſibus,qui recitabantur,conſurrexit vniuerſus,ipſumque poetam præſentem, & ſpectantem, ſic veneratus eſt, vt Auguſtum? inſanus ergo populus ille, qui verſibus obſcuris,& ignotis,& uerſuum auctori, honorem tribuebat, Auguſto ſolo dignum, ſi nullum poterat ex illa recitatione uerſuum haurire fructum. Si igitur ignoto carmini tantum tribuebat ille populus,quid tandem feciſſet,auditis his ætatulæ noſtræ ſcopis diſſolutis? quæ uerbis, & ſententijs, quæ ueriſimili,ac decoro,quæ reliquis imitandi formis, uincunt an-

tiquas illas & græcas, & latinas, indecoro carmine compoſitas fabulas? Sed ſi populus Romanus inſipiens, & ſtultus, num etiam Plato? qui 7. de Republica libro, rogantibus Tragicis uiris illius Reipublicæ homines, ſi in ciuitatem ipſorum reciperentur; illos recte reſponſuros ait, ſi dicant, *ſe non admiſſuros eſſe Tragicos viros ad ſe, ad liberos, ad vxores ſuas, ad vniuerſam ciuitatem, ſi contraria ſuis inſtitutis eſſent dicturi*. Quid enim uereris admittere poetas, quos adoleſcentes, pueri, & mulieres, quibus times, & caues, non eſſent intellecturi? inanis omnis & tua, & illorum hac in re cura. At enim Aeſchyli, Sophoclis, & reliquorum non modo Græcorum, uerum etiam latinorum dictio, & interpretatio, difficilior eſſe, ac maiore quadam obſcuritate inuoluta uidetur. Hoc autem fortaſſe noſtra fit culpa, quibus non adeo Græcorum eſt, aut Latinorum lingua familiaris. itaque non tam ipſe nobis uerſus obſcuritatem, & hæſitationem interdum affert, quam linguę peregrinitas, & inſolentia. Hujus uero ſignum illud eſt, quod poemata vulgari noſtro ſermone ſcripta, facile percipiuntur, & cum delectatione canuntur à pueris, & fabris, & coriarijs. Quis noſtrates Comædias, & Tragædias, carmine compoſitas, ſe non facillime intellexiſſe queſtus eſt unquam? quis non Ludouici Arioſti poema non modo ſine difficultate legit, ſed etiam non cum maxima uoluptate legendo percurrit. eodem ſane modo illi ueterum Tragædias, & Comædias cum fructu, & delectatione guſtabant, quibus erat idem ille ſermo natiuus, & germanus. Sed tu fortaſſe non minimo in errore uerſaris, qui putes, ſi quid habeat obſtructioris intelligentiæ, ac diuerſitatis ab oratorio ſermone poeticus, quam habere neceſſe eſt aliquam, id numeris tantum aſcribi debere. eſt enim & ſuus oratori numerus, quo ſi careat interdum, abiectus ſit oportet ille ſermo, prorſus inanis, iners, & plebeius; nec ulla tandem conſtare poteſt oratio laudabilis, & probata, niſi numeroſa ſit, & rhythmo, ueluti maximo quodam fundamento, ſuſtentetur. quamobrem fuere, qui dixerint, ad poeticam propius accedere Demoſthenis orationem. uerum aſtrictior eſt omnino

E poeti-

poeticus numerus,& compreſſior. Sed non in hoc tantum eſt ſita diuerſitas,& diſſidiū. multa ſunt alia, & profecto maiora, quibus harum artium fuere facta diuortia. magnam enim partem poeticæ nomina peregrina ſibi uendicant, quæ ſunt alterius populi,quas γλώττας appellāt,ſtructuræ,duplicata nomina, facta,ipſorum nominum,& rerum immutationes,metaphoræ aſperiores,ſimilitudines,& epitheta frequētiora,varietas troporum, fabularis ratio, & reliquæ poetarū formæ,de quibus Ariſtoteles in poetica,& 3.Rhetoricæ artis libro, Dionyſius Halicarnaſſeus in libello de compoſitione, & Franciſcus Robortellus,capite,de ſermone poetico. quæ quidem omnia maxime conueniunt in heroicum carmen, quod ſublimius debet eſſe, & à communi loquendi forma remotius.Congruunt eadem de cauſa,ſed multo magis & Lyricis,& dithyrambicis, in quibus, ſi quid maioris ineſſe dixeris obſcuritatis,non repugnabo. ijs enim illorum ſermo compactus eſt & vocibus,& immutationibus,& ſtructuris, vt neceſſe fuerit aliquam eos, cum granditate contraxiſſe caliginem. Hæc frequentiora, cum lubebit,aſpicies in Aulo Perſio,cui non leuis cura,omnia prorſus immutare,atque remotiſſimas quaſdam,aptas tamen,& congruentes rei, quam tractat,& metaphoras,& comparationes inſerere. verum hæc eadem & Comicus & Tragicus reſpuit, eaq; potius aſciſcit. quibus ad communem loquendi formam ſe magis accommodet. quis enim in Terentij verſibus, legantur,aut recitentur, verſum agnoſcat vllum? quis in Sophoclis, aut Euripidis,niſi magna nimis adhibita cura,& appulſu mentis? *Miſeram me vereor,ne illud grauius Phædria tulerit, neve aliorſum, atque ego feci, acceperit,quod heri intromiſſus non eſt.* Quæ poteſt hac videri verſibus aſtricta, ſolutior oratio? qui verſus magis à verſu liber? & tu verſus hos pertimeſcis, ne ſcrupulum aliquem inijciant populo, aut difficultatem afferant audiendi? Opportune te liberauit ex hoc metu,ſi neſcis,Ariſtoteles in poetica,cum dixit.*In heroicis omnia ſunt vtilia, quæ dicta ſunt*(immutationes intelligit,& poetica verba) *at in iambicis, quod maxime ſermonem ſolutum imitantur, ea conueniunt*

no-

nomina, quibus in oratione ſolemus vti. Nullas igitur tantas poteſt iambicum carmen, vel ſpondeo permiſtum, obducere tenebras, vt facilem poſſit, atque expeditam cuiuſuis hominis impedire notionem. LIMP. Hæc equidem vera eſſe non inficior, atque rectiſſime à te diſputata, concluſaque, non ſum adeo rudis, & peruicax, vt aliquo modo negare velim. Verumtamen, ſi hæc ita ſe habent, cur Plato, cuius tu tantum auctoritati tribuiſti, quantum omnes tribuere profecto debent, de ſua Republica Tragicos, & Comicos excluſit? Equidem hac de cauſa arbitror, quia metris, & cantibus ad laſciuiam, & intemperantiam, & mollitiem inflecterent animos, mulcerent aures, & expertem rationis ſenſum delectarent. quia igitur non vtiliter illis uterentur metris, iure ſunt è Republica Platonis eiecti. qua cauſa, ne tanta uoluptate perfunderent animos, & utilitate, propoſitoque ſibi fine carerent auditores, quæ tertia mea ratio fuit, non temere metris exoluendas Tragædias, & Comædias exiſtimauimus. SCAR. Quæſo Limpi, Glaucus ne es, aut Chameleon aliquis? qui tam facile in tot monſtra te uertas? & uno prælio uictus, ad alterum te nouis copijs renoues? & ſemper belli fortunam, exurgendo, tentes? PAVL. Tanta eſt in eo ingenij fęcunditas, ut nunquam ipſi non ſuppeditent argumenta. Eiecit eos, inquis, quod animos eximia metrorum ſuauitate corrumperent ad intemperantiam, & laſciuiam. Iam tu calumniaris ipſe te, atque imprudens, niſi malitioſe, à priori tua ſententia recedis, ac tecum ipſe pugnas, nec arguis, aut refellis interea quenquam. Primum enim, cum poematis finis alter ſit delectatio (mitto iam quærere, qui ſit præcipuus, delectatio, an vtilitas, ex Ariſtotele colligitur vltimo capite poeticæ, maximum eſſe finem voluptatem, verum hoc non diſputo, cum nihil nunc referat) verum cum finis alter ſit ipſa delectatio, quo magis poema delectabit, eo magis finem aſſequetur ſuum. Aut igitur hic finis ei negandus omnino fuerat, aut laudanda nimia delectatio. Præterea bis tu quidem, & vehementer erras, & quod verſus cauſa tragicos a Platone putes excluſos, & quod ſolum uerſum, ac præterea ni-

hil in Tragædia delectationem habere tibi perſuaſeris. Quid enim? agnitiones, fortunæ commutationes, & caſus, quas περιπέτειας appellat Ariſtoteles, ſententiæ, fabula, non ne magnæ ſunt hæc efficientia uoluptatis? amputanda igitur una cum uerſu cenſebis omnia, ſi te delectatio non delectat. Verum quid tandem ſupererit, ex toto ſi partes omnes adempſeris? Deinde quos iſta ratione ciuitate prohibitos dicis, eos tantum abeſt, ut decori, uerisſimiliſque perturbatione, & obſcuritate carminum peccare aſſeras, ut plurimam uerisſimilitudinis laudem, multamque in ſuauitate perſpicuitatem, quę fuere Platoni ſuſpecta, eiſdem plane concedas. Quonam enim modo poetas expellebat, quod metrorum ſuauitate laſciuiam, & intemperantiam, in ciuitatem inducerent, ſi metrorum cauſa nec uerisſimilis erat ipſorum oratio, & obſcuritatem habebat, ut neque credi, neque intelligi facile poſſet? eadem igitur metra, te iudice, uerisſimile diſſipant, & perſuadent; obſcura ſunt, & audita, perturbant, & commouent. quid hoc poteſt dici pugnantius? uide ne te induas in apertos laqueos iſta contrarietate uerborum? Abſurdum enim eſt aliquos illius erroris inſimulare, quo priora tua deſeras iura. Quis enim hoc modo loquitur, uerſus eſſe Tragicorũ, & Comicorum, ad fidem faciendam ineptos, quod ueritatis ſpeciem omnem deſtruant, & eoſdem tantam poſſe facere fidem, ut animos audientium ſeducant, perturbent, & ſollicitent, ac denique quocunque uelint, abripiant? non hęc erat, opinor, diſputatio noſtra, num animos ad mollitiem, & uoluptatem rapiant, verum illa potius, num poſſint rapere, quod tu negabas, quod à verisſimili diſcedere uiderentur. uel hoc, uel illud ſequare; utrumque non potes. Verſum igitur eripis, quod ſenſum rationis expertem quaſi titillare poſſit, & ad laſciuiam trahere. iniuſte tu quidem facis; primũ, quia ſeuerior Platone. is enim nihil illis abſtulit, nihil detraxit, ſed amicos appellans, & quodam modo uerbis ornans, in ſua tamẽ ipſis Republica nullum eſſe locum oſtendit. Tu uero iniuria quoque afficis, & ab antiqua poſſeſſione depellis carminum ſuorum. Deinde, cum tanta uis ipſis ſit, ut ſenſum

ſum impellere ad laſciuiam poſſint, non ne eadem uis eundem poterit ad uirtutem uel impulſum reuocare, uel obtemperantem in officio continere? uis enim & facultas, quam δύναμιν appellant, utrumque reſpicit contrarium, quicunque enim poteſt ſcribere, poteſt & non ſcribere, Alexandri Aphrodiſienſis hæc eſt ſententia in primo libro Topicorum. cur igitur hanc tu poteſtatem, quia male poteſt aliquando ſuum obire munus, acerbe mulctas, eandem, quia bene, non laudas, & retines? cur arma, qua parte poſſunt interdum obeſſe, damnas, & infringis, qua vero magis etiam prodeſſe, non abſoluis, & reſtituis? cur in eos, qui facultate ſua liberius abutuntur, animaduertis, & eos, qui ſancte ſcripſerunt non liberas? ſed improbos ſimul, & caſtiſſimos, iniquus index, eadem pęna dignos arbitraris? Quid enim non caſtiſſimum, & meliore luce dignum, quid non pudicum, & philoſophum decens, in Sophoclis, Euripidis, Aeſchyli, Senecæ, Terentij, aliorumque plurium, tragædijs, & comædijs? vbinam apud illos (notaſti fortaſſe locum) ingens iſthæc, & deteſtanda laſciuia, morumque corruptio? num intemperantes, impudici, laſciui, perditam in hominum mores inducentes viuendi rationem, poſſunt eſſe ſapientes, & virtutum omnium genitores? at his, & alijs huiuſmodi nominibus ornãtur, & ab ipſo Platone ſæpe, & cum fuit opus, ab oraculo. Tragædiæ, & comædiæ, carmine cõſcriptæ, ſunt laſciuiores. eſto. Verum, quæ eſt iſta ſolutæ tragędiæ fęlicitas, quod ius ſibi cęlitus conceſſum, vt nullis ipſa laſciuijs, nulla contagione lędat? Modeſte, uel intemperanter ſcribere, non compoſitionis vllius eſt vitium, aut probitas, neque ſolutus, aut alligatus id ſermo præſtat, nęquaquam; ſed voluntas, & electio ſcribentis. Non habet oratio ſoluta eam vim, dices, vt moueat. hoc enim ex tuis dictis elicitur, qui in verſu motum accuſes. Quid igitur ea tu facies oratione, cui illud ipſum deſit, in quo laus eſt ſita ſermonis? quid mihi tuis tragædijs opus erit, in quibus nulla delectatio, niſi ſcurras inducas, & mimos? Præterea cum intemperanter agentes accuſas, non artem accuſas, ſed miniſtros intemperanter artem tractantes.

Rectiſſime nos vti ſuis præceptis ars ipſa iubet,& vt decet,ad vniuerſorum hominum vtilitatem,& delectationem. qui uero ſecus agit,& artis bono aut ad quæſtum, aut ad libidinem abutitur,is ne nomen quidem ab illa arte deductum,iure ſibi uendicare poteſt;non ſecus,ac ſi quis eum,qui ad interitum, & necem exerceat artem medicam, medicum appellari contenderet,& qui pernitioſas,& cum ciuitatis calamitate coniunctas leges ferat,legiſlatorem. Optimæ tragędiæ,& comędiæ, ſunt optimis præceptis, & exemplis abundantes,in quibus,vt in ſpeculis, hominum vita conſpicitur, & non quæ aguntur, ſed quæ ſunt agenda probant, & admittunt; idque non modo verbis, veram multo magis factis. non enim omnia,quæ quocunque modo delectant, affingunt, ſed quæ cũ vtilitate, ac dignitate delectant, quæque animum poſſunt à perturbationibus aliquibus liberare; quod eruditiſſime fuit ab Ariſtotele in fine poeticę artis indicatum,cum dixit,Οὐ γὰρ τὴν τυχοῦσαν ἡδονὴν ποιεῖν αὐτάς. *non quarumcunque voluptatum ipſas eſſe confitentes*; & multo clarius cum tragædiam definiret, cũ poſuit in ipſa definitione, & in natura tragædiæ, virtutem, & vim purgatricem plenam vtilitatis, & actionis honeſtiſſimę. Ac pręter hanc,quam poſuit Ariſtoteles purgandorum animorum rationem alia quædam pucherrima fuit à Iamblico, primo Myſteriorum libro, his verbis excogitata. *Humanarum perturbationum vires ſi obruantur,& comprimantur omnino, acrius inſurgunt, & vehementius, vt flamma compreſſa, vel riſus cohibitus. ſi vero foras erumpant,breuiores fiũt; & ad menſuram quandam permiſſæ,modeſtæ lætantur, & explentur. itaque ſuadela quadam, & quaſi blanditijs, non vi, conquieſcunt. Idcirco in ſpectaculis comœdiarum, & tragœdiarum, ſpectantes aliorum affectus, noſtros comprimimus, & modeſtius agimus, & quaſi expiamur, & auſcultatione turpium, abſoluimur à pernitie,quæ poſſet accidere inde ex factis,ut verba factis ſubueniant.periculiſq; medeantur.* Audiſtis,amici,grauiſſimum Philoſophũ etiam ex intemperantia,quod vobis fortaſſe paradoxũ uideatur, & verbis turpioribus, quæ quãdoq; ſolent in comędijs incidere, vtilitates haurientem haud exiguas,& hu-

huiuſmodi ſpectacula tanquam fructuoſa laudantem? Id autem magnopere cum ſententia M. Tullij conuenit, qui conſimilem in oratione Pro M. Cęlio uidetur è laſciuia, velut è luto, ac ſordibus, eruere fructum; cum ſic ait. *Cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atq; ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates, reuocet ſe aliquando ad curã rei domeſticæ, rei forenſis, rei publicæ, vt ea, quæ ratione antea nõ perſpexerat, ſatietate abieciſſe, experiendo contempſiſſe videatur. ac multi fuerunt, quorum cum adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent, eximiæ virtutes, firmata iam ætate extiterunt.* Sic igitur in comædijs, & tragædijs, facile peruulgata deferueſcunt ea, quæ compreſſa, & latentia, intumeſcerent intus, & magis obeſſent. Atque hac, opinor, de cauſa prudens Atheníenſium Reipublica, ne tanto fructu priuarentur egentes, quibus pecunia non ſuppetebat ad locum in theatro, ac ſpectaculis, emendum, duos obulos unicuique ſtatuit ex pecunia publica, quę theatralis ea cauſa fuit à Demoſthene appellata. Eſt ergo tragædia multarum perturbationum, cum remiſſione quadam animorum, emendatrix. quod quidem in Alexandro Tyranno manifeſtum fuiſſe Plutarchus aſſerit, de quo loquens, ait, *Tragædia* ψυχὴν αὐτοῦ καθάπερ σίδηρον ἐμάλαξε. *Animum eius emolliuit ipſa tragedia, vt ferrum ignis.* Et Proclus. Ποιητὴς ἀπὸ τῶν ἠθικῶν λαμβάνει τὰ οἰκεῖα ϑέσματα. *Poeta ex moralibus, & ciuilibus libris, ac præceptis, decentia, & ad officiũ pertinentia deſumit.* Si hæc tibi non ſunt ſatis, adhibe Dionem Chryſoſtomum in ſermone de exercitatione ſic tibi conſulentem. *Ex poetis quidem tibi conſulerem, vt Menandrum ex comicis frequenter in manibus habeas, & Euripidem ex tragicis.* qua cauſa? paucis poſt verbis, addit. *Difficile ſatis eſſet explicare, quanta ex his vtilitas.* Simile tragædiarum ſpectationi prorſus illud erat, quod Lacedæmonijs, ut Plutarchus refert, erat in uſu, qui in publicis iuuenum conuiuijs aliquos homines hebrios in medium ſtatuebant, ut cognoſcentes illi, quid efficeret hebrietas, aliena turpidine commoti ſaperent, & quod in alijs deteſtarentur, in ſe ipſi cauerent. Et in re diſſimili, exemplo fere ſimili, ſuos ab bellum Italicũ excitauit apud

Liuium Hannibal,conſtitutis in medium captiuis montanis, vt ex illorum fortuna, ſe quiſque erigeret ad meliorem. *Si quem animum*, inquit Hannibal, *in alienæ ſortis exemplo paulo ante habuiſtis, eundem mox in æſtimanda fortuna veſtra habueritis, vicimus milites; neque enim ſpectaculum illud, ſed quædam veluti imago veſtræ conditionis erat.* Quid porro aliud eſt aut tragædia,aut comædia, quam humanæ conditionis imago, ad cuius exemplar ſibi quiſque vel cauere poſſit, uel eligere meliora. Diſce quas partes, quod officium Maximus ille Tyrius,uere maximus,ipſis poetarũ uerſibus aſſignet,& fortaſſe tu quoque poetarum amore captus, fies & ipſe poeta. *Humana*, inquit, *ode in animam effuſa, quid aliud eſt, quam earum, quæ ſunt in anima perturbationum, inſtitutio quædam, & emendatio? quod ipſius eſt inflammatum, furoreue percitum, id carmine, tanquam incantatione demulcens; diſſolutum, & abiectum rurſus eleuans, & excitans. Hæc vim habet eam, vt miſeriam ſubleuet, iram obtundat, ſpiritus frenet; bonarum rerum appetitum ſimul cum temperantia excitet, vt moleſtias auferat, amores mitiget, & calamitates leniat. optima in ſacrificijs auxiliaris, & dux, celebritates exhilarat, & ciuiles mores carmine temperat.* Ac ne fortaſſe quiſquam exiſtimaret,hæc nõ ad tragædias,& comædias,pertinere,ijs quæ ſubiungit,id ipſum aperte declarat,*cum artem hanc ſatiabilis, ait eſſe gratiæ in ſcena, & in theatris*. Hac Tragædiarum præſtantia impulſus Cicero, dixit, ad Cæſarem ſcribens. *Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera præcepta Euripidis.*& alibi.*Cuius ſingulos verſus ſingula teſtimonia puto.* Et de natura Deorum,libro ſecundo.*Euripides autem, vt multa præclare, ſic hoc breuiter.*Et quarta Tuſculana. *Itaque non ſine cauſa cum Oreſtis fabulam doceret Euripides,primos tres verſus reuocaſſe dicitur Socrates.*

Neque tam terribilis fando oratio eſt,
Nec ſors,nec ira cælitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo efferat.

Sed quid hos affero?cum plurimi legantur in illis Philoſophię libris,Tragicorum,& Comicorum verſus,qui tanquam

diui-

diuini, & admirabiles exhibentur à Cicerone? Quin idem Plato, quem poetas eieciſſe dicis, in illo ſeptimo de Republica libro, non dimiſit e Republica ſua tragicos. minime quidē, ſed magiſtratum eſſe voluit, cui oſtenderentur Tragædiæ, & illi ſi probarētur, prohibitio nulla foret. poterat ergo eſſe probata, laudabiliſque Tragædia. Porro pulcherrima leguntur Timoclis Comici carmina, quę profert Arſenius Euripidis interpres, Athenæus libr. ſexto, & Stobęus ſermone 133. quibus accurate ſatis exprimuntur utilitates, quas importāt hæc poemata. Quin audis Philoſophum præclariſſimum Iacobū Zabarellam, vt in tota philoſophia facis, Limpi, ſic in hac etiā parte? qui libro 2. de natura logicæ, ſic ait. *Idem de poetica dicendum eſt. eius. n. ſcopus naturalis eſt vtilitas, & morū correctio, & affectionū purgatio. Sed adiecta eſt etiam delectatio, vt homines ad hanc vtilitatem percipiendam allicerentur. ideo recte poeta dixit. Et prodeſſe volūt, & delectare poetæ. quod ita intelligendū eſt, vt præcipue ſpectetur vtilitas, delectatio ſecūdo loco, propter vtilitatem, non propter ſe. Quoniam aūt in poematibus delectatio cū vtilitate eſt commiſcenda, hinc factū eſt, vt multi arte poetica abutentes, poemata componerent, quæ delectationem abſq; vlla vtilitate, præberent. hi namq; adulterini poetæ, prætermiſſo præcipuo huius artis ſcopo, ſecūdariū ſolū reſpiciūt, qui per ſe, & ſine altero quærendus non eſſet. hæc fuit Platonis opinio, qui in libris de Republica poetas, vt morū corruptores, à ciuitate reijcien dos eſſe voluit. Contra vero in Sympoſio eos laudibus ad cælū fert, & prudentiæ, & virtutum genitores appellat. Cum igitur dicendū non ſit, tantū philoſophū ſibi aduerſari, fateri oportet, eū de veris poetis loqui, dum eos vocat virtutum genitores, alibi de falſis;* & quę ſequuntur ibi plura. Hunc locum deſcripſi, tanquam eximium, & adhanc diſceptationem vehementer accommodatum, quem tu quidem opinor, optime vidiſti Limpi. nam in principio huius noſtri ſermonis eadem fere dixiſti, ſed ſerie, & continuatione verborum, ex alia in aliam ſentētiam reiectus, & tanquam ad varios ſcopulos delatus, illorum oblitus uidebare. Denique ne nimis diffidere tragicorum cauſæ uidear, dum tot auctorum, in re clariſſima, colligo teſtimonia,

quaſi non multo plura perpetuo ſuperſint, quæ prætermittere ſit omnino neceſſe, duas adhuc tātum alias afferam ad hāc tragædiarum, & comædiarum vtilitatem confirmandam, ex infinita pene multitudine, quæ ſe ſe mihi hac in re plurimorum auctorum offerunt, auctoritates, alteram eiuſdem Maximi Tyrji, alteram Epicteti, atque hi mihi probationis huius agmen poſtremi claudant. Maximus ergo Tyrius ſermone 29. ſic ſcribit. *καθάπερ δὲ οἱ ἰατροὶ κακοσίτοις τῶν καμνόντων τὰ πικρὰ τῶν φαρμάκων ἐναδεύσαντες γλυκερᾷ τροφῇ, ἀπέκρυψαν τὴν τοῦ ὠφελοῦντος ἀηδίαν, οὕτω καὶ ἡ παλαιὰ φιλοσοφία καταθεμένη τὴν αὑτῆς γνώμην εἰς μύθους, καὶ μέτρα, καὶ σχῆμα ᾠδῆς, ἔλαθε τῇ περιβολῇ ψυχαγωγίας κεράσασα τὴν ἀηδίαν τῶν διδαγμάτων. κἂν ποιητὴς λέγῃ, κἂν μῦθον λέγῃ, κἂν ᾄδων λέγῃ, ἕψομαι τοῖς αἰνίγμασι, καὶ διερευνήσομαι τὸν μῦθον, καὶ οὐκ ἐκστήσει με ᾠδή.* Hæc aurea ſunt verba, quæ omnem auferunt hæſitandi cauſam. *Quemadmodum,* inquit, *medici grauiter affectis ægrotis amara medicamenta dulciori cibo diluentes, rei iuuantis abſconderunt ingratum ſaporem, ſic antiqua philoſophia, depoſita in fabulis, & metris, & odarum forma, proprio ſenſu, voluptatis integumento præceptorum moleſtiam temperauit. Siue igitur poeta dicat, ſiue fabulam dicat, ſiue Cantans dicat, ſequar quod inuolutum eſt, ſcrutabor fabulam, neque me verſus auferet.* Non poterat apertius explicare philoſophus hic maximus, qua ratione fabulis iuuemur poetarum: & in carminum ſuauitate medicinæ præceptorumque moleſtiam deponamus. Epictetus vero ſapientiſſimus philoſophus Tragædiam definiens, ſic apud Arrianum ait. *Tragædiam ſpeculum eſt eorum, qui a fortuna pendent.* Sapiēs ſane dictum, & aureis litteris decorandum. nullum enim humanum perfugium ac portum habent humanæ tempeſtates ipſa tragędia maius, ac tutius. At vero num Tragædias, & Comædias tantum attingit iſta calumnia ſuauitatis, an ad omnē poeſim, ad Epicam, ad Lyricam, ad Dithyrambicā etiam, permeat, an ad ipſum præcipue Platonem peruadit? qui ſua ipſe ſcripta quandoque laudans, leges arbitror, ea tragædiam appellauit, & tragædiarum optimam; & ipſe ſe fatetur eſſe Tragædiæ quam optimæ poetam; & qui ſuauitatem alijs obijcit,

ipſe

ipſe ſuauitatis magnitudine ſuperat in ſuis ſcriptis & poetas, & tragicos, & Sirenas omnes. num igitur ex tragędijs tantum hæc exigenda pęna? an quocunque modo ſcribas, ab improbitatis contagione, ac maleficio, procul abeſſe debet omnis oratio? Reiecit ex ſua Republica Plato Comicos, & Tragicos. num ſolos? nonne etiam Epicos, & in primis Homerum? quanam hecle cauſa? num & Homerus intemperans? & ſi eadē eſt ipſius, & tragicorū cauſa, fuit enim & ipſe tragicus, & tragædiæ parens, nemo tamen hoc illi inurere eſt vnquam auſus. quid igitur cauſæ fuit, cur & hūc, & alios eiecerit ille, ſi vitio caruerūt, quos honeſtiſſimo ſæpe nomine appellare con ſueuit *Sapientes, patres & duces ſapientiæ; ſapentiæ, virtutumq; genitores, & alumnos, muſarum filios*. quorū verſibus, vti veritatis optimis teſtibus, plerunque ſua dicta confirmabat: Præter eam quam ſuperius attulit Zabarella, iam alteram audi, ſi quęris, cauſam. Methæcum quendam Siracuſanum ferunt, inſignem obſoniorum parandorum artificem, manu, tēperatione quadam, & igne, cibos egregie cōdientem, cum Spartā ueniſſet, ut illic, quod tunc potens ea ciuitas eſſet, ex arte ſua quæſtus faceret, vt ipſe putabat, haud exiguos, vrbe Spartana, totaque regione prohibitum, quod huiuſmodi cibis nō vterentur, qui corporis, & animi vires infringerent. is igitur illinc expulſus, ab alijs tamen Græciæ populis receptus, cariſſimus illis, & in oculis fuit, nullo artis ſuę vitio à Lacedæmonijs neglectus. Non diuerſa prorſus ratione, nec Homero, nec Tragicis, nec vllius poetæ potiſſimum ſcriptis indigebat illa Platonis Reſpublica. nam cum ſermone, & cogitatione tantum exiſteret, (Ἐνβιβλωπόλιν eam appellat Ariſtides, hoc eſt *in libris effectam, nec re conſiſtentem; commentitiam vero Cicero*) ſic eam ſibi confinxerat, & extruxerat ille philoſophus, vt laboribus aſſiduis tantum, ærumnis, & exercitationi, contenderet ad fęlicitatem, blandimenta & voluptatum illecebras excluderet omnes. Non igitur eos tam eiecit, quod indignos, & flagitioſos exiſtimaret, quam non retinuit, quod ipſis non indigeret, quaſi cum ſene Terentiano diceret, nihil iſthac opus eſt arte. Eiſdem tamen & viuentibus & poſt obi-
tum,

tum,ſcriptis eorum, ingentes, ac prope diuini ſunt & ab eodem ipſo Platone, & omnibus poſtea ſeculis ab omnibus, vbique gentium,honores habiti. LIMP. Veriſſime ſunt hęc à te probata Pauline,atque eleganter admodum, niſi fallor, expreſſa; nec vllis tuis dictis iam auſim, quod mihi facere poſſe videbar antea,repugnare. Diſcedam igitur, quod ad quæſtionem propoſitam attinet,in ſententiam tuam: nec erraſſe me olim hac in parte pęnitebit,quandoquidem error ille meus & huius diſputationis eruditiſſimæ cauſam attulit,& meæ ſententiæ melioris. Verum illud tu mihi, ſi moleſtum non eſt,explices velim.Quando Comædiæ,& Tragædiæ reſtitutus eſt à te carminis vſus,quo illis tanquam aqua,& igni, videbatur interdictum, num & oratione ſoluta quoque recte poſſumus,& cum laude,vel ſaltem impune, Tragædias, & Comædias componere? id quod aliqui noſtrates, & meo iudicio,non incommode, poſtremis his temporibus, tentarunt. PAVL. Quæſtio iſthæc Limpi, non eſt noua. Sed orationis figura tantum,& immutatione uerborum, videtur à ſuperiore diuerſa,re tamen,& confutatione,eadem. Cum enim oſtenſum antea fuerit,vt audiſti, verſum eſſe poetarum proprium,& nullam vnquam fuiſſe,aut eſſe poſſe ſine verſu poeſim, ſequi neceſſario videtur, eam orationem quæ verſu careat, eſſe non poſſe poeſim. LIMP. Recte dicis, atque rationes illæ,& auctoritates antea productæ,me vehementer mouent. Cæterum audi. Patauium his diebus ſuperioribus profectus eram quod quidem vos non latuit, vt adoleſcenti cuidam amico,& conciui meo,Philoſophiæ,ac medicinæ inſignia petenti,per eos dies,ut fit, adeſſem. ibi cum inter nos uarij ſæpe ſermones haberentur, præſertim de litteris, forte in hanc ipſam,de qua nunc agebam,quæſtionem,incidimus. is autem adoleſcens,eius ſententiæ erat,ut orationē ſolutam, eam,quæ habeat imitationem, ad poeſim reuocari poſſe diceret. SCAR. Qua nam ratione ductus? probabile eſt enim habuiſſe aliquam, an uero ſine ratione hoc dicebat? LIMP. Probabat ille quidem,& acute. Ac ſi recordari poſſum,pene enim exciderat, illud ipſum illius proferam argu-

men-

mentum, quod is ex alijs etiam audiſſe fatebatur. PAVL. Dic obſecro, ſi potes. Fortaſſe enim & mea, & tot Clariſſimorum virorum ſententia reiecta, ſequar veſtram. LIMP. Ille ſic argumentum explicabat. *Quacunque facultas imitatur actiones humanas ſermone, ea ad Epopæiam ex Ariſtotele, ac proinde ad certum quoddam poematis genus eſt reuocanda, ſed Tragedia, & Comædia ſoluta oratione conſcripta, imitatur humanas actiones ſermone; Tragædia itaque, & Comædia oratione ſoluta ad Epopæiam, ac proinde ad certum poematis genus eſt reuocãda.* In qua ratione vides Epopæiam ſumi pro quacunque imitatione, ſermone facta. Quid cogitas Pauline? vis repetam argumentum? PAVL. Minimè. percepi ſtatim. Cogitabam autem, num recte Tragædia, & Comædia facultatis nomine poſſint appellari. ac iure quidem id dubitaret aliquis, cum non facultates eſſe, ſed à facultate profectæ videantur. non enim recte diceremus Euripides compoſuit facultatem, ſed Tragædiam, poema, poeſim, compoſitionem. Et Ariſtoteles primo Rhetoricę artis libro uidetur appellare facultates Dialecticam, & Rhetoricam tantum. nihil tamen hac de re nũc ſtatuo; alijs id perpendendum relinquo; ſiquidem huiuſmodi diſputatio ſuſceptum negotium tranſiliret, & à re propoſita nimium orationem abduceret. Quod igitur ad reliquæ propoſitionis veritatem attinet, cum inquit, Quæcunque facultas imitatur actiones humanas ſermone, ad Epopæiam reuocari, accepta nimirum Epopæia in ea ſignificatione, ut quamcunque imitationem ſermone factam in ſinum ſuum includat, itaque diuidenda ſit ea ratione, ueluti genus quoddã Epopæia in duas poematũ ſpecies, alterum, quod oratione ſoluta imitetur, alterum quod uerſu, hoc mihi ualde liberum uidetur; tam nouum & inſolitum, quam quod maxime. neque mihi ſolum, ſed omnibus arbitror alicuius ingenij uiris, & ſcriptoribus, qui fuerunt, & ſunt; (excipio Brixianum Madium, & qui illi ſunt addicti) dicerem etiam, & qui futuri ſunt, niſi uerbum arrogans uideretur, ſed tamen res ipſa tam abſonam faciem affert, & abſurdam, ut de futuro quicquam aſſerere hoc in loco non uideatur abſurdum, arrogans, & in-

uidioſum. Etenim quis unquam hoc dixit, ſiue Græcus, ſiue Latinus, probatæ fidei ſcriptor, Tragædiam oratione ſoluta ſcriptam Epicum eſſe poema? quis, omnem, & cuiuſcunque generis orationem, in qua ſit imitationis aliquid, ad Epopæiam, & ad Epicam poeſim poſſe reuocari? ἔπος quidem aliquando, ſed raro, ſed apud poetas tantum ſumitur pro ſermone quouis, ut cum Homerus ait, ἔπεα πτερόεντα, *verba alata*, licet etiam poſſimus dicere uerſus alatos. uerum, quod inde deriuatur; ἐποποιόν, nuſquam alium eſſe reperies, quam metrica oratione poetam, & Ἐποποιΐαν, uerſu ſcriptam poeſim, præcipue tamen heroico. teſtantur hoc præter cæteros Euſtathij uerba, qui primum Odyſſeæ librum explicans; ait, Ἐκ δὲ τοῦ ἔννεπε, ἀφορμὴ ἐνδέδοται τοῖς καλοῦσι τοὺς ἡρωϊκοὺς στίχους, ἔπη, καὶ ἐποποιοὺς, τοὺς ποιητοὺς, νεωτέρων δὲ ἡ τοῦ ἔπους χρῆσις, ἐπὶ τῶν ποιητικῶς μετρούντων. *ex verbo, ἔννεπε, dic, occaſio data eſt ijs, qui vocant heroicos verſus ἔπη, & Epopæias, poetas ipſos. apud iuniores vero vſus huius verbi ἔπους, poetice menſurantes complectitur.* Sunt ne igitur hæc monſtra, an ego hallucinor? Erit ergo, ſi Dijs placet, tota M. Tulij philoſophia, Epicum poema; Xenophontis, Herodoti, ac reliquorum hiſtoriæ, adhuc Epicum poema, omnes Tragædiæ, Comædiæ, dithyrambi, poeſim efficient Epicam; ſiquidem iſta ueſtra Epopæia in hæc omnia diuiditur. Verum ſi egregia iſthæc poeſis apud Ariſtotelem naſcitur, quo nam obſecro loco ipſius præcepta tradidit? ubi mentio ulla, aut hic, aut alibi? imperfectus igitur, qui cum in arte poetica genus omnium poematum, epopæiam, diſpeſcat, ut ais, in ſuas ſpecies, illam, quæ uerſu perficitur, accuratiſſime tractat, eius uirtutes; & uitia monſtret, nos ad optimam poematum metricorum rationem informet, ad epopæiæ metricæ paæcipue: de reliqua pedeſtri, nec hic, nec alibi, nec ipſe, nec alius ante, uel poſt eum quiſquam, uerbum unum. (excipio, ut dixi, Madium, & neſcio quos eiuſdem claſſis paucos quoſdam) at oportebat tamen, artem poeticam inſtituentem philoſophum. in mente, atque cogitatione philoſophi relicta fortaſſe permanſit, & velut arcanum quoddam id ſibi ſoli ſeruauit, ut multa; iſtam

inui-

inuidebat, opinor, egregiam poeticæ partem hominibus. LIMP. huius quidem partis, quę ad ſolutam orationem ſpectat, nulla ſunt a philoſopho præcepta nobis tradita, *quoniã, commutato ſolum cum oratione ſoluta metro, eadem quæ de metrica tragædia dixerat, ad ſolutam poterant accommodari, vel etiã ad ea nos informare poemata voluit, quæ trita, & apud omnes in confeſſo tunc temporis erant. hac ergo ratione ſuperuacaneum viſum eſt illi, ad alias deſcendere præceptorum regulas*. Præterea, cum Tragædię verſum tribuit, ac de huiuſmodi Tragædia præcepta tradit Ariſtoteles, alteram vero, quæ ſoluta perficitur oratione, ſupprimit, illud ſcilicet ſpectauit, *quod vſus illorum temporum obtinuit, ratione illorum inſtrumentorum. non igitur nunc quærimus, quid a priſcis Comicis, & Tragicis, factitatum fuerit, ſed quid ex Ariſtotelis initijs, atque ſentẽtia, fieri poſsit. vno verbo, an ex Ariſtotele, Comædiam, & Tragædiam, pedeſtri ſtylo exarare liceat, doceamus.* PAVL. ruinoſum perfugium, caducum, & infidele. Etenim quid ais? Ad trita, conſuetaque apud omnes poemata nos informare voluit, de inſuetis, & reconditis, tacere? miram philoſophi prudentiam, mirã artem, rem ſane profundam excogitauit, ea nimirum præcipere, quæ nota prorſus erant hominibus, trita & apud omnes in confeſſo, alteram uero, de qua nulla viderant unquam exempla, quam ne eſſe quidem cogitare poterat aliquis, priſtinis, & æternis tenebris inuolutam, ac latentem, relinquere. hominis hoc erat non artem profitentis, ſed aut ignorantis, aut inuidi. At eadem fidelia duos parietes. nec hoc, Limpi, conuenit. id ipſum enim tamen explicandum fuerat vno ſaltẽ verbo. nam ſi duarum ſimilium ſpetierum & conuenientiam, & differentiam, tradidit, Epopæiæ, inquam, & Tragędię, & quid haberent inter ſe ſimile quid diſſimile pluribus uerbis expoſuit, quod non adeo neceſſarium uidebatur, cur alterius, quæ plurimum ab alijs diſſidebat, rudes omnino reliquit homines & ſi cum ailjs congrüebat, quod ineptum eſſet affirmare, cur tamen id ipſum ſaltem non expreſſit? cur intempeſtiuo ſilentio totam artem imminuit, ac labefactauit? Verum eadem ne ratio metrici, ſolutique ſermonis? eadem vtrique præcepta?

caue hoc dixeris; præſentibus alijs. quot verborum genera, quas immutationes, quas compoſitiones & ſtructuras, quot figuras illa poetica menſura, & metrica poetis, recipit, quas tua ſoluta reſpuit? ſi Ariſtotelem, ſi Hermogenem, legiſti, prō ptum profecto fuit utriuſque naturam, & diſſimilitudinem, videre. verum audi ſaltem Halicarnaſſeum Dionyſium, qui ridet eos, qui, ut ornatior uideretur eorū oratio, poetica quædam in ſolutam orationem inſerebant, quę moleſta potius erat, & faſtoſa, atque turgida, quænam uero poetica illa erant, his uerbis declarat. Ἀλλ' οἱ βουλόμενοι κόσμον τινὰ προσεῖναι τοῖς ὅλοις, ἐξήλλαττον ἰδιώτην, καὶ κατέφευγον εἰς τὴν ποιητικὴν φράσιν, μεταβολαῖς τε πολλαῖς χρώμενοι, καὶ ὑπερβολαῖς, καὶ ταῖς ἄλλαις τροπικαῖς ἰδέαις, ὀνομάτων δὲ γλωττηματικῶν, καὶ ξένων χρήσει, καὶ τῶν οὐκ εἰωθότων σχηματισμῶν τῇ διαλλαγῇ, καὶ τῇ ἄλλῃ καινολογίᾳ καταπληττόμενοι τὸν ἰδιώτην. *Querebant*, inquit, *ornatum aliquem afferre ſuis ſcriptis, immutabant communem, & vulgarem phraſim, & ad poeticam confugiebant, immutationibus multis vtentes, & ſuperlationibus, & alijs modorum formis, nomina importantes, ex alienis linguis accepta, atque peregrina, figuratis dicendi generibus, non ſolitis, mutatione, & reliquis ſermonum nouitatibus, terrentes vulgares*. Hæc eadem ut dixi, pluraque tibi patefacit Ariſtotelis in Rhethoricis, qui lib. 3. dixit, *diuerſa ſoluti ſermonis, & poeſis eſt elocutio*. & *Poeticus enim ſermo non humilis, verum ſoluto non conueniens*. idem etiā uocauit Ἀπαιδεύτους, imperitos, eos, qui poeticā dictionē ſequētes in ſuis ſcriptis, putabāt ſe pulcherrime loqui: Quod vero de præceptis dixiſti tragædiarum ad illorum tēporum vſum ab Ariſtotele relatis, neque id hærere mehercle poteſt, aut aliquo pacto conſiſtere; nam, vt omittam ea, quæ ſuperius à me de eodem vſu declarata ſunt, & pluribus confirmata, libenter accipio, quod nunc liberaliter cōcedis, tragædias illorum temporum ab omnibus fuiſſe receptas, & in honore habitas, & Ariſtotelem illarum artem, & præcepta nobis tradidiſſe. Etenim hæc aduerſantur titulis tuis, & ijs, quæ ſunt in principio a te iactata confidentius, cum dixiſti, *non poſſe ſatis, niſi ſoluta oratione tragædiarum, & comædiarum*

rum

rum decorum, ac dignitatem retineri, aut vtilitatem percipi, non recte, ſed præpoſtere imitari, ac ſexcenta huiuſmodi, ſi recordaris, in tragædias, & comædias, probra. Si enim tot continuatio ſeculorum, ſi omnis antiquitas, ſi poſteritas vniuerſa ad noſtram vſque ætatem, ad hoc vſque tempus, quo nunc vobiſcum loquor, ſummas, & incomparabiles laudes, & tragicis viris, & tragædijs, tribuit, ſi Ariſtoteles ipſe præceptis, ac regulis ſuis ea confirmauit omnia, vide nè non ſatis conſtanter facias, qui tuis ipſe dictis tam cito repugnes, & contradicas. Præterea illud quæro, quibuſnam hominibus poeticam illam conſcripſit Ariſtoteles? Si tantum illis, apud quos erant in vſu tunc temporis illæ tragædiæ, & comædiæ, non ars illa fuit, quæ ſempiterna debet eſſe, uerum edictum Prætoris, quod ad tempus permanet. Si poſteris, id quod eſt dicendũ, non igitur illorum temporum vſum reſpexit ille, ſed omnium. At enim illa non probabat Ariſtoteles, & ideo meliorem ſententiam innuit, quæ ex eius principijs, videlicet ex nudis ſermonibus, ducitur. Et id quoque labitur. Quis enim illud obſecro, credat, ſummum philoſophum ad id ſua præcepta, doctrināque omnem, & artem accommodare voluiſſe, quod uſus illorum temporum tantum obtineret, & ſi ſibi nequaquam probaretur: quæ uero meliora iudicaret, & præ ſentibus anteferret, ea plane reticere, ac non ferendo ſilentio inuoluere? cuius hoc, nõ dicam philoſophi, ſed hominis omnino eſſet, ea præcipere, quæ non probes, & ea tacere quæ præcipiēda ducas? improbũ appellat eũ Plato in Minoe, qui alia ſētiat, alia ſcribat. Ita ne enim cõſtituimus diſciplinas quę tradantur poſteris, ut illa tã celebrata προυπάρχων γνῶσις *ante capta cognitio, & an mo anticipata rei informatio*, ſit vſus quidam rudis, & mobilis, non ulla doctrinę ex rei natura deſumpta ratio? ecquis hoc aut audiat abſque ſtomacho, aut ferat abſque culpa? Hæc hodie diſciplina ualet, ſic iubet uſus: cras inutilis erit. num tibi diſciplinæ videnter eſſe ueluti poma, quæ uno die, uel altero, marceſcunt, & abijciuntur? nec pudet hæc nos & dicere, & ſi uideatur etiam ſcribere? Num in Rhetorica temporis illius uſum ſequutus Ariſtoteles, ar-

tem illam perfecit? imo clamat, damnat, & deteſtatur in principio artis, aliquorum de Rhetorica ſcribentium conſuetudinem, qui fidei faciendæ præcepta, & enthymematum rationem, quæ præcipua pars eſt Rhetoricæ, negligentes, aut parũ admodum attingentes, ad ea, quę extra cauſam eſſent, & quæ iudicum animos inflecterent, & diſtorquerent, artem omnem referebant. is itaque probationum, & enthymematum, copioſam admodum, & amplam, ex cauſis, & rei natura deſumptam, prius nobis tradere doctrinam uoluit, poſtea de cæteris rebus agere, in quibus alij magis laborauerãt. ſed non alienum fortaſſe fuerit, uidere, num uſum, & conſuetudinem reſpexerit in tractanda tragędia Philoſophus, an quę de ipſa tradidit omnia, uere ſententia ſua comprobarit. Cum itaque tragędiæ primam, ac rudem originem commemoraſſet, poſt aliqua paulatim incrementa recepta, demum ait. *multis mutationibus factis conquieuit. ad propriam enim ipſius naturam peruenit*, Quid quęſo uobis hoc ſignificat, Ad propriam ipſius naturam peruenit? niſi dicatis, omnem ſuæ naturæ perfectionem recepiſſe, cum paulatim eſſet aucta, tandem conſtitiſſe, ut amplius augeri non poſſet, omnem abſolutionem conſequuta, alium interpretationis modum, ne Sophiſtæ quidem repererint. non igitur uſum quemcunque probauit, ſed rem ipſam ad ſummum ſtatum euectam laudauit. Deinde huius eiuſdem tragædiæ, quam uſus alebat, definitionem exhibuit, in qua uis omnis, & natura continetur ipſius rei, quę definitur. quis uero illud ignorat, ipſas rerum eſſe definitiones immutabiles, & ęternas, quas nullus populus, nulla gens, nullum ęuum infirmare poſſit, atque cõcutere? at uſus paulo momento huc illuc impellitur. Denique ne diutius in rebus adeo manifeſtis uos detineam, in fine totius artis poeticæ colligens Ariſtoteles, quæ pluribus antea docuerat, ait. *De tragædia igitur, & Epopæia, de ipſis, de ſpeciebus, & partibus ipſarum, & quot; & quid differant, & quæ ſint cauſæ, quamobrem recte fiant, & non recte, de reprehenſionibus, & ſolutionibus ipſarum, hæc dicta ſint*. Se cauſas narraſſe ait, cur tragędiæ recte fiant, & non recte, ex cauſis, non ex uſu,

ducta

ducta ratione; preterea criminationes, & impugnationes omnes expoſuiſſe, quæ contra poſſent educi, in quibus nulla de uſu mentio, nulla de metris; & criminationum omnium ſolutiones attuliſſe, quamobrem perfecta, inuiolabilia, & æterna debeant eſſe, quæ dicta ſunt, & nullis uſus mutationibus ſubiecta. Ad male fidum itaque te contuleras iſtud Aſylum. At dices, Ariſtoteles ipſe diuiſit. Epopæiã in ſermones nudos, & metricos, nudos autem pro ſolutis, & pedeſtribus, exponere me ſolere, non ignoras. Audio. ſed tu, cum iſtam expoſitionem, & intelligentiam ueſtram abſurda plurima, & incredibilia conſequi, uideres, ad aliam debebas, & magis probabilem interpretandi rationem te recipere, ac tanquam ex conſequenti, & ab euentu, ad prioris, & antecedentis ueritatem peruenire. hoc te Dialectici docuerunt. Itaque non ego nunc diſputationem illam ſuſcipiam, quomodo nudi ſermones, qui nudare ſolent optima intelligentia uiros, ac præclara de illis conſtituere trophæa, ſint intelligendi, neque nunc tibi concedam, quod, quia nihil obeſſe poterat, antea condonaui, nudos illos ſermones ſolutam orationem eo prorſus modo quo uos arbitramini ſignificare, neque tamen hac de re nunc diſputabo. ſi hoc expectas, alios adire poteris, preſertim ad Iacobum Mazonium eruditiſſimum uirum, qui copioſe, docte, ac luculenter hæc diſputauit in ſuis introductionibus, & hæc portẽta, uelut alter Hercules, ſua claua compreſſit. non eſt enim cur illa nunc in hanc transferam diſputationem: longum enim eſſet, & actum agerem. Nec meam alteram afferam illorum verborum explicationem, fortaſſe veriorem. Concederem enim tibi, & æquo animo concederem, Epopæiam diuidi, tanquam genus in orationem ſolutam, & metricam, ſed non vt genus poeticum, & in plures poematum differentias diuiſum, hic enim latet error omnis, ſed vt vniuerſum quoddam, quod comprehendit imitationem, tum carmine, tum ſoluto ſermone factam. De imitatione tantum ibi ſuſceptus eſt ſermo, non de poemate vllo, neque enim erat tempus. nam neque citharistica, & auletica, quæ ibi commemorantur, poemata dicuntur, vt erudite

notauit Antonius Riccobonus. Voluit igitur Ariſtoteles, acturus in principio poeticæ de imitatione, vt de poeſis genere, vt eam ab alijs imitandi formis ſepararet, prius de imitatione confuſa, & generatim ſumpta, veluti de re maxime ampla, & vniuerſa, quæ plures, & diuerſas formas imitandi complecteretur, agere. quo circa genus quoddam excogitauit, commune tum imitationi, quæ fit in dialogis, hiſtorijs, & alio quocunque modo, tum eius, quæ reperitur in metris; quaſi diceret; Epopæia, quod pertinet ad imitationem perſonarum, eſt genus vniuerſum, & commune tum poetis, tum omnibus illis, qui quocunque modo imitando ſua ſcripta compoſuerunt; vt tu quoque ſuperius, ſed aliud agens, dixiſti. Sic inquam, poſſem diſputando, locum illum explicare; fortaſſe nec ab Ariſtotelis mente diſcederem, nullum certe ſequeretur hanc explicationem incommodum, nihil repugnans, nec ridicula, & abſurda cogerer dicere, ſententiam hanc vt tuerer. nec ea dicam, quæ, & ſi veriſſima ſint, & eidem Ariſtoteli, cæteriſque ſcriptoribus omnibus conſentanea, nihilominus vel impudenter quis negare, vel aſtute ſubterfugere, vel ſophiſtice detorquere poſſet, & peruertere. Inſigni tantum abſurdo, quod ad commentitiam interpretationem veſtram audiſtis adhæreſcere, nunc mihi ſatis fuerit, eam ipſam interpratationem oſtendiſſe vanam, ac propria imbecillitate confutatam. Quemadmodum igitur ego plurimas, ac prope innumerabiles oſtendo clariſſimorum virorum, per omnia tempora, verſu conſcriptas, & Comædias, & Tragędias, & aliorum poematum ſpecies, ſic vnum oſtende tu mihi poema (ne mihi plebeios, & inſulſos, & ætatulæ noſtræ circulatores, & horum ſimiles obtrudas) quod fuerit vnquam oratione ſoluta compoſitum, aut Epicum, quod magis debes, aut alterius alicuius ſpetiei. LIMP. Non ne Dialogos omnes oratione ſoluta conſcriptos, præſertim Platonis, quod imitatione tractentur, ad poemata reducemus? cum ea cauſa dramaticos eos neſcio quis, appellarit? Dictū eſt enim à me ſuperius, Epopæiam intelligi debere pro quacunque imitatione ſermone facta. Cum igitur & Plato, & cęteri

teri Dialogorum ſcriptores, dicantur eſſe *μιμητικοὶ*, *imitatores*, quis neget eos in poetas eſſe referendos? PAVL. Nollem hoc ab amico dictum. te namque cariſſime Limpi, quod probus es, quod doctus, & elegans, fero, diligoque, rem tamē eſſe ferendam non arbitror. Solam ne imitationem ad poemata conſtituenda ſufficere? vno poſito ſemel abſurdo, quā multa, maioraque, continuato lapſu, conſequantur oportet? Sola tibi placet imitatio. verum Ariſtoteli non eſt viſa ſatis, qui primas poeticæ conſtitutionis cauſas, ex naturali principio repetitas, non vni tantum imitationi, ſed & huic, & rhythmo, cuius pars eſt metrum, retulit acceptas. Et in definitione Tragædiæ, præter ceteras partes, ſuauem etiam orationem, cuius inter alia inſtrumenta, dixit eſſe metrum, cum imitatione coniunxit. Præterea, ſimilem eſſe Tragędiam Epopæiæ, quod vtraque bonorum contineat imitationem, metrico ſermone comprehenſam; licet aliquibus alijs inter ſe differant. Et alibi, *Poetam dixit magis eſſe fabulæ, quam metrorum effectorem*. tribuit itaque primum fabulæ locum, nec tamen excluſit metrum; licet in conuiuio, metrorum, & muſiæ tantum effectorem eſſe, dixerit Plato. Sed hæc omnia, ſi memini, ſuperius à me fuere citata, cum plurimis alijs, clarorum teſtimonia virorum. quo circa nunc eadem velle repetere, importunum ſane eſſet, atque hominis, vel ingenij ſui pauperta tem, vel probationum inopiam agnoſcentis. Aliam igitur ingrediamur in hac diſceptatione viam, fortaſſe latiorem. Omittam autem interea, minorem illam propoſitionem tuā, ſeu aſſumptum, eſſe vanum, & nugatorium, cum ait. Tragædia, & Comædia ſoluta oratione ſcripta, imitatur ſermone. nam ſi ſoluta oratione, quid attinet, ſermone? quaſi reperiatur oratio ſoluta, quæ non ſit ſermo. Verum his omiſſis, ad propoſitionis veritatem accedo, & ſic argumentum, ac ſententiam meam explico. Si hoc dederimus, vt quæcunque imitatio ſermone facta, poſſit efficere poema, mox concedendum erit, Hiſtorias, Dialogos, plurima ſcripta philoſophorū, oratorum orationes, fabulas Aeſopi, & alias, eſſe poemata, cum hæc imitationem contineant, vel omnino, vel

multam. Quod vero nihil horum debeat appellari poema; & ſi per ſe tam manifeſtum ſit omnibus, vt præter communem hunc hominum conſenſum, alia ratione minime indigeat, quia tamen aliquando cum ſurdis eſt agendum, id vna tantum, ſuperuacanea quidem plurimis, neceſſaria quibuſdam, patefacio huiuſmodi ratione. Si ſoluta iſthęc aliqua oratio poema conſtitueret vllum, omnium maxime vel Hiſtoria Herodoti, vel Dialogi Platonis, hoc præſtarent, verum id falſum eſt, & licentius dictum, nihil igitur aliud illo modo ſcriptum, poterit eſſe poema. Quod pertinet ad Herodotum, hunc nemo poetam vnquam dixit, ſed Hiſtoricum, & hiſtoriæ patrem omnes appellarunt vna cum Cicerone. Et Dionyſius Halicarnaſſeus exemplis diuerſis hiſtoricorum, & poetarum, probaturus, quod propoſuerat, opponit Herodotum poetæ, vt ſcriptores inter ſe plurimum differentes, dicens, ſumatur ex poetis Homerus, ex hiſtoricis Herodotus. Vides, Herodotum non eſſe poetam? cum eum ab Homero poeta diſtraxerit, ac ſepararit Dionyſius? Ariſtoteles vero manifeſtioribus id ſtatuit verbis, cum dixit, Hiſtoriam Herodoti, ſi metro ſcriberetur, hiſtoriam omnino futuram. Et Hermogenes appellauit Herodotum Hiſtoricum, & Xenophontē dialogorum ſcriptorem, Συγγραφεῖς, καὶ λογογράφους, *hiſtoricos, ſermonum pedeſtrium ſcriptores*. Συγγράμματα, vero & Ποιήματα, *ſolutæ ſcriptiones, & poemata*, tanquam vehementer oppoſita ſeparantur ab Iſocrate in Euagora. eandemque tribuit Λογογράφοις, ſignificationem Plutarchus in libello de defectu oraculorum, dicēs, Καὶ ποιηταὶ, καὶ λογογράφοι ἐν θεάτροις ἀγωνιζόμενοι. *tum poetæ, tum oratione ſoluta ſcribentes, in theatris concertantes*. Eadem ratio pertinet ad Platonem, cuius orationem Laertius in eius vita dixit, *eſſe mediam inter ſolutam, & poeticam*. genus autem huiuſmodi dictionis fortaſſe decipere potuit aliquem, vt exiſtimaret eſſe poeticam, non enim poetæ, ſed hiſtorico potius conuenit; & omni ſoluto ſermoni, quod & Hermogenes confirmauit in forma puritatis, inquiēs, μεταξὺ γὰρ εἰδέναι δεῖ, τὸν ἐν πεζῷ λόγῳ ῥυθμὸν, μέτρου τε φύσει, καὶ μὴ μέτρου. ideſt, *ſcire oportet ſolutæ orationis rhythmum*

mum

mum medium eſſe inter metrum naturale, & non metrum. Talem autem fuiſſe Thucididis dicendi formam, neque pedeſtrem accurate, neque metricam perfecte, ſed mediam, ac mixtam, Dioniſius Halicarnaſſeus declarauit, ubi de Thucidide loquitur. Cicero in Bruto, Platonem inter philoſophos vbique recenſet, & philoſophum, ac philoſophiæ parentem appellat, & idem primo libro Academicarum quæſtionum ſeparauit expreſſe Platonem à poetis, & cum philoſophis coniunxit, inquiens. *Quid eſt enim cauſæ cur poetas Latinos græcis litteris eruditi, legant, philoſophos non legant? An quia delectat Ennius, Pacuuius, Accius, multi alij, qui nō verba, ſed uim græcorum expreſſerunt? quanto magis philoſophi delectabunt, ſi vt illi Aeſchylum, Sophoclem, Empedoclem, Euripidem, ſic hi Platonem imitentur, Ariſtotelem, Theophraſtum?* Audis, etiam ab Empedocle, qui de rerum natura ſcripſit, vt magis accedere ad philoſophos, ex Ariſtotelis ſententia, quam a d poetas, videretur, quia tamen, quod verſu ſcripſerat, poetæ quandam ſpetiem referebat, & poeta creditus à plurimis fuit, ſeparauit ab ipſo Platonem, neque doctrinæ ſimilitudo potuit eum in appellationis ſocietate cùm Platone coniungere, quem tamē vera nominis ratio Theophraſti fecit, & Ariſtotelis in ſcribendo ſocium. quam quidem philoſophorum inter ipſos ſocietatem, libri definibus eiuſdem M. Tulij confirmarunt, his verbis. *Sed exiſtimo te, ſicuti noſtrum Triarium, minus Epicuro delectari, quod illa Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti, orationis ornamenta neglexerit.* Sed ſecundo de natura Deorum, *Deum philoſophorum* eſt auſus Cicero vocare Platonem, qui Pſeuſippum ſororis filium, eiuſdem oratoris auctoritate, reliquit hæredem, non poematum vllorum ſed philoſophiæ. & Diogenes Laertius Platonis dialogos, non poemata appellauit, ſed Συγγϱάμματα, quæ, vt dixi, ſunt oppoſita poemati. qui quidē Laertius in uita Platonis, & Euſtathius libro decimoctauo iliadis dixerunt, ipſum Platonem poemata conſcripſiſſe, dithyrambos, & Tragædias, in quibus cum cognouiſſet ſe ſuperatum ab Homero, ignibus omnia tradidiſſe, & audito Socrate, captum illius Sirenibus, ad philoſophiam, & pretioſio-

ra ſtudia, ſe contuliſſe, in quibus ualde profecit. Quid ais? Si poemata ſua combuſſit ille, cur dialogorum poemata uiuũt, & extant? cur hæc non concremauit? & quæ ſunt illa meliora ſtudia, ad quæ, neglectis, & exuſtis poeticis, poſtea ſe cõtulit, ſi dialogi poemata erant? Quænam illa fuerint, non eſt obſcurum. Quintilianus etiam id declarat, his uerbis. *Platonem quis dubitet, eſſe philoſophorum præcipuum, ex quo multum eloquentiæ ſe traxiſſe Cicero fatetur.* Sed quid moror, una tantum Hermogenis auctoritate hoc totum ædificium ueſtrũ, Platonis dialogis nitentem, ruere uidebitis, & fumare, ut nè ueſtigia quidem priſtinæ fabricationis appareat amplius. is igitur in forma dicendi politica, ſic ait. *Panegyricum, ſeu demonſtratiuum genus* Κατὰ λογογραφίαν, *ideſt, quod ad orationem ſolutam ſpectat, Platonicum omnium eſſe pulcherrimum; quo vero poeſis vtitur (omnium enim maxime demonſtratiua eſt oratio poetarum) non eadem eſt, quæ in cæteris, ratio; ſed quæ de ſermone panegyrico dicta ſunt, ea multis alijs indigent, quæ propria poetarum eſſe dicimus. Qualem enim nos eſſe Demoſthenem oſtendimus, ratione ciuilis ſermonis, in genere deliberatiuo, ac iudiciali; & qualem Platonem in panegyrico & demonſtratiuo talis Homerus erit in poetica, quam ſi quis demonſtratiuum genus carmine ſcriptum, dixerit, haud aberrabit à vero.*

Hæc autẽ poſſunt ne tibi Limpi, vel adoleſcenti cõciui tuo, vel alijs, eſſe ſatis? an ſaxum adhuc elixo? Inter panegyricas, ſi ſolutam orationem ſpectes, Platonis eſt omniũ pulcherrima; Homeri, ſi poeticã: vtraque oratio formã, inquit, ſectatur eãdem in dicendo, panegyricam uidelicet, eam, quæ ſit omniũ pulcherrima. eſt ne diſcrimẽ inter ipſas aliquod? ſi non eſſet, vtraque vel Platonica diceretur, uel Homerica. uerum altera poetica eſt, inquit, altera ſoluta. Hoc ſatis eſſe poterat eleganti viro, ſed cæterorum cauſa, qui natura conſueuerunt eſſe moroſiores, hæc addendum putauit. *Multis alijs rebus opus eſt ſolutæ, ut fiat poeſis,* poſſumus ne tandem ſcire, quæ ſint iſthæc alia multa? explicabit hoc inferius aliquantulum Hermogenes, vbi de peculiari poeticę ſermone, qui ſit ab ab alijs oĩbus omnino ſeiũctus, agit. interea vero hoc eiuſdem vtere dicto,

Alte-

Alteram eſſe carmine ſcriptam, alteram, nequaquam. quaſi ſummum eſſe diſcrimen ſtatuat inter poeticam orationem, & reliquas omnes, metrum ipſum, quo ſublato, poetica tranſit in ſolutam, Homerica in Platonicam. Quibus ex uerbis illud elicimus, non modo ſolutam ullam eſſe non poſſe poeticam, ſed etiam poeticam ſine uerſu non eſſe poeticam. Hęc igitur Hermogenes; qui ſi forte ſuſpectus tibi ſit, ut uehemens, & acer opinionibus iſtis aduerſarius, etiamne Iſocratem reijcies, qui nihil hactenus in te, tuoſque dixit? Ab Hermogene nō diſſentit Iſocrates, qui laudans Euagoram, ait; *Non ignoro quam difficile ſit, quod ſum facturus, huius hominis virtutem oratione ſoluta laudare ſignum huius rei maximum. nam de multis alijs, ac diuerſis rebus, dicere audent ij, qui philoſophiam tractant, hac autem vnquam ſcribere, ipſorum aggreſſus eſt nemo. Ego vero ipſis ignoſco. multa namque poetis conceſſa ſunt ornamenta. cum hominibus enim verſari Deos, licet ipſis fingere, congredi & conſuetudinem habere cum quibus ipſi volunt, & hæc eadem non modo conſuetis proferre nominibus, ſed nunc vti peregrinis, nunc vero nouatis, nunc metaphoris, nihil plane prætermittere, ſed omnibus dicendi formis multiplicem, ac variatam efficere poeſim. at ijs, qui ſermone vtuntur, nihil huiuſmodi licet, ſed conciſe tum nomina ciuilia, tum enthymemata rebus ipſis hærentia, oportet afferre. Præterea, illi quidem adhibendis metris, & rhythmis, quicquid volūt, efficiunt, hi vero nullam ex his partem attingunt, quæ tantam habēt in ſe venuſtatē, vt quæ in ſoluto ſermone, & enthymemate nō recte ſe haberent, ea pulchris rhythmis, & uerſibus oblectant audientes. Porro poetarum uim hinc facile quis intelligat, ſi. n. præſtantioribus poematis nomina relinquas & ſententias, metrum uero diſſoluas, imbecilliora multo, quam nunc exiſtimantur, apparebunt.* Audiſti ne, Iſocratis teſtimonio nec philoſophos, nec oratores, poſſe tantum efficere dicendo, nec audere, quantum poetas? quod hi maximam habeant & in uerbis, & in rebus efficientiam, & ornamentorum copiam, qua reliqui plane deſtituuntur? metrum autem eam poemata largiri uenuſtatem, & elegantium, ut, ſi illud ſoluas, & ad ſolutam redigas orationem, omnem poema deperdit quam de ipſo prius homi-

nes habebant, exiſtimationis opinionem? ſi metrum igitur eſt cauſa venuſtatis, & præſtantiæ poematum, ſolutũ vero, eiuſdem amiſſio pulchritudinis, & diſſolutio; ſi tantam, metri gratia, poemata vim poſſident, & elegantiam; ſoluto metro, uel nullam, uel exiguam, quis eſt qui non uideat, hinc utrumque confici, & poemati neceſſarium eſſe metrum, & orationi ſolutæ, cui metrum eſt appoſitum, inimicum eſſe poema? eandem hanc poſtremam ſententiam ijſdem *penè, breuioribus tamen verbis, protulit Ariſtoteles, libro 3. Rhetor. cum dixit*, Οἱ ποιηταὶ λέγοντες εὐήθη, διὰ τὴν λέξιν ἐδόκουν πορίσασθαι τὴν δὲ τὴν δόξαν. *poetæ abſurda, & inania loquentes, dictionis cauſa viſi ſunt hanc tantam gloriam conſecuti*. Eam uim, inquit, habet dictio poetarum (includitur in dictione metrum) vt rebus inanibus, & leuibus, gratiam addat, & ſplendorem; à qua quidem præſtantia ſolutam orationem audiſtis, eſſe ferme inopem. Quibus ſane uerbis apte reſponderetur illi, qui ueluti magnum quid, & reconditum dubitans, quæſiuit, ſi Vergilij Aeneadem diſſoluas in ſolutam orationem, quonam ea nomine appellabitur. Solutam eſſe dices orationem, inanem, exanguem, abſque uiribus, abſque neruis, humilem, & futilem, & abiectum, ſiue dialogum, ſiue hiſtoriam, illarum omnino ſimilem, quas ocioſæ mulieres, ocij vitandi cauſa ſolent æſtate legere, quorundam, qui nunquam fuere Græcorum, res geſtas referentes, ab Hiſpanis auctoribus confictas. Hanc ipſam poetarum in dicendo *præſtantiam, & Plato declarauerat antea in Menexeno non valde diuerſis his ab Iſocrate verbis*, Ἐὰν οὖν ἡμεῖς ἐπιχειροῦμεν τὰ αὐτὰ λόγῳ ψιλῷ κοσμεῖν, τάχ᾽ ἂν δεύτεροι φαινοίμεθα. *Si nos itaque tentemus eadem oratione ſoluta exornare; fortaſſe ſecundi videbimur, & inferiores*. Quid ais Plato? tuam ne orationem, quæ ſuperat ipſa ſuauitate Syrenarum cantus, & quæ primum in omni eloquentia locum aſſentientibus omnibus habere dicta eſt, orationi cedere poetarum? Panegyrica eſt oratio tua, panegyrica eſt, & Homeri. vtraque ſummum perfectionis eſt aſſequuta gradum, & utraque velut exemplar eſt omnibus, & princeps forma conſtituta dicendi. Quid eſt ergo; cur in

laudan-

laudanda clariſſimorum uirorum virtute, poetarum orationi tuam nunc ſtatuas inferiorem? quod alijs non crederem, tibi id ipſum affirmanti profecto nemo non credet. quid igitur habent amplius poetæ, quamobrem ipſis ita facile concedas? Ποιηταὶ, inquit, *αὐτῶν ἤδη καλῶς τὴν ἀρετὴν ἐν μουσικῇ ὑμνήσαντες, εἰς πάντας μεμηνύκασιν. Poetæ illorum res geſtas muſica ratione laudantes, omnibus eas manifeſtarunt*. nunc intelligo demum, quid id ſit potiſſimum, quo Platoni Plato fateatur antecellere poetas, muſicis nimirum inſtrumentis, metro ſcilicet, quæ pars eſt non minima muſicæ. id quod ibidem melius declarat, inquiens. *Vt prouocemus alios ad eadem odis, alijſque carminibus, vt decens eſt, exornanda*. Itaque tragædiam Callimachus appellauit, vt Demetrius Triclinius in Pindarũ aſſeruit, *Ληκύθιον μοῦσαν, grandem muſam, & ampulloſam*. Quamobrem ex dictis verbis affirmat Plato non ſolum orationẽ poetarum eſſe diuerſam, & præſtantiorem oratione ſoluta, ſed etiam ſe non eſſe poetam, quandoquidem ſuam orationem cedere fatetur orationi poetarum. At enim poeta ab Hiſtorico non carmine, uel proſa oratione differt, ſed quia alter rem geſtam narret, alter imitetur. quicunque igitur imitatur, & ſi abſque metro, poeta dicetur tamen. Qua quidem Ariſtotelis auctoritate fretus Martinus Delrius, aſſerere non dubitauit, *illum abunde poetæ nomen mereri, quicunque aliquid ſcriptione, licet oratione ſoluta, fingit, & imitatur*. Hunc ego uirum, & auctoritate, & eruditione, ac rebus ſcriptis, plurimũ valere non ignoro, hac tamen in re minus exiſtimo fuiſſe, quam in cæteris, accuratum, & diligentem. Nam quid obſecro, præſenti negotio illa uel obeſſe, uel prodeſſe poteſt auctoritas Ariſtotelis? qui eo loco non hoc quærit, quis uere ſit appellandus poeta, ſed tantum, quid differat hiſtoricus à poeta. non metro, inquit, ſi quidem poteſt hiſtoricus metro ſuam hiſtoriam contexere, nec erit ideo poeta. Metrum ergo, dices, non efficit poetam. abſque imitatione, quis negat? nam nec Empedoclem appellauit ea ratione poetam Ariſtoteles. verum hucuſque nihil ad rem: Verum ex his confici dices, poeſis uim omnem, & quam vocant eſſentiam, non in metro ponen-

ponendam. vnde tu id collegiſti? Poeta, inquit Ariſtoteles, non differt ab hiſtorico metro. Aſſentior. ergo metrum ad poeſis naturam non pertinet. Nunc non aſſentior. abſurdum eſt enim quod addis. Nam ſi recte concludere te putas, cum ais, Poeta non differt ab hiſtorico, metro: ergo metrum eſſentiam poeſis non attingit; ütar eadem ipſe regula, & concludere per te mihi licebit, hoc modo. Homo non differt ab Angelo ratione, ergo ratio non pertinet ad naturam hominis, & tua cauſa carebunt omnes homines, ea qua ſunt homines, ratione. & item, Homo non differt ab equo ſenſitiuo, non erit ergo homo ſenſitiuus: nam, & ſi perpetuum id non eſſe dices, mihi ſatis erit, aliquando, & ſemel eſſe uerum, ad id confirmandum, quod ex Ariſtotelis uerbis tu negare prorſus uideris. Sed alter, inquit, imitatur; alter autem rem uere geſtam narrat. Audio. imitatione tantum differunt. Erit ergo, quicunque imitatur, & fingit, poeta dicendus. id vero nec Ariſtoteles dixit, nec tu poteris ex illis eius dictis extorquere. non enim ſi rectiſſime dixit Ariſtoteles, poeta fingit, & imitatur, id tibi, uel mihi dedit, ut retro cõmeare liceat, ac dicere, Quicunque fingit, & imitatur, is eſt poeta. Quod ſi contendes tamen, & auctoritate tua id tibi ſumendum duxeris, nunc mihi ſatis eſt, oſtendiſſe, hoc ab Ariſtotele non eſſe dictum, nec ex illius uerbis, quæ ſunt à te producta, huiuſmodi quicquam erui poſſe. Quod ſi ex hac Ariſtotelis propoſitione, poeta imitatur, recte concludere te putas, & ut conſequens inferre, Lucianus ergo, Plato, dialogorum ſcriptores, ſunt poetæ, nulla id prorſus, niſi hac ratione poteris. Quicunque dialogos fingunt, ut Plato, Lucianus, imitantur, At poeta imitatur, ſunt ergo dialogorum ſcriptores poetæ. Sed Dialectici ridebunt, qui in ſecunda ratiocinandi figura negant affirmari poſſe quicquam. Et cum hoc in loco te, ut uides, Ariſtotelis auctoritas deſerat, alio tibi confugiendum, & apertius demonſtrandum, omnes, qui quocunque modo imitantur, eſſe poetas; aut ſi non potes, noli cogere philoſophũ inuitũ aſſentiri tibi, genus, & ſpetiẽ reciprocanti. eſt. n. imitatio genus in tragędijs, & cæteris his ſpe-

tiebus.

tiebus.uerũ ſi genus una cum differentia ſũpſeris,retro cõmebis arbitratu tuo. Poeta imitatur uerſu, & quicunq; imitatur uerſu, eſt poeta. Nulla igitur erit imitatio poetica, niſi poeticũ accedat inſtrumentũ;alioqui plurimos eſſe poetas ſtatuemus, quos poetas appellaret nemo tollerabilis; etenim & Xenophõtẽ in toto eius opere,& M. Tulliũ in Rhetoricis libris,ac in tota philoſophia, poetas aſſeuerare cogemur; & dialogos, quos philoſophorum eſſe ſermones Ammonius in libro de interpretatione dixit,atque Ε᾽ξωτερικοὺς λόγους, *populares & faciles ſermones*,ab acromaticis diſtinctos, appellari, poetarũ eſſe figmenta fatebimur. Thucidides præterea, Titus Liuius, & alij multa,quod in Concionibus imitentur,ac diuerſos inducant inter ſe loquentes,& ipſi poetarum ſimul,& hiſtoricorum nomen,& præmia tulerint. Hæc ipſa præterea, quæ nunc inter nos diſſerentes commentamur,& his alia ſimilia, ſi quis aliquando deſcribens, ſic in dialogi ſpeciem componeret,& in lucem ederet,eſſent hac ratione(ſi dijs placet)appellanda poemata. Verum id ego nunc prædico,teſtor, affirmo,me nunc haudquaquam poetice loqui,neque poeticam phraſim,& elocutionem vllam,ſcientem hodie protuliſſe. Si quis vero id aſſerat,aut ego inſanio; aut ipſe belle, decipitur. Quid tu ais Limpi?poeta ne nunc es,dum mecum diſputas, an ſophiſta potius? LIMP. non ſumus nos quidem poetę,qui hæc loquimur,ſed ſi quis hæc eadem ſub dialogi forma complexus fuerit,illum fortaſſe dicemus poetam,quod ſermonẽ hunc noſtrum fuerit imitatus. PAVL. O te pugnacem in diſputando Limpi, & in tuenda ſententia nimis acrem, & pertinacem. Matres etiam puerorum, & nutrices, quæ fabellas infantibus narrant,ut faciendum præcipit Plato, inter poetrias numerabimus:& quæ, quid ſit poeta nunquam cognouerunt,pulcherrimo poetarum nomine decorabuntur. O rem ridiculam,ac ne per ſomnium quidem uiſam. Quin ſophiſtas etiam ex poetarum numero nõ excludemus, quos inter μιμητικοὺς *imitatores*, Plato recenſet in ſophiſta. Oratores præterea,& philoſophos illos qui morales notas, & cha-

imitationes,& Cicero,qui libro quarto ad Herēnium, oſtentatoris pecunioſi characterem eleganter admodum, & multis verbis expreſſit,in quo multa quædam eſt imitatio Comica; qui colloquia ſcripſerunt, omnes in poetarum claſſem conijciemus,quid plura? circulatores multi, qui uarias linguas egregie ſane didicerunt imitari, Neapolitanam, Venetam,Bergomatem,Hiſpanam,Germanorum,& multas alias quibus admirationi ſunt,& delectationi apud forum auditoribus,hos omnes una cum Amadiſijs,& Palmerinis,plurimā imitationem continentibus,inter poetas recipiemus,& ſi vos ita iuſſeritis, etiam laurea coronatos, ad publica Gymnaſia perducemus. O miſeros, & ærumnoſos,Euripides, Sophocles,Ennios,Senecas,Homeros,Virgilios, & tā multos alios poetas,qui pene confecto cum ſumma gloria tot ſeculorum ſtadio,nemine veſtræ laudi toto hoc ſpatio refragante,demū hæſiſtis ad metam poſtremæ tempeſtatis huius,in qua,cęnū, ſordes,& quiſquiliæ vobis erunt anteponendæ.Sed enim ad poetarum choros admittendus erit Aeſopus Phrygius, qui quidem eſt omnium maxime dramaticus, & fabularum inuentor optimus. LIMP. Quid? nonne Aeſopus tibi videtur poeta?etenim non deſunt,quibus videatur. PAVL. Qui hoc exiſtimant,ij tam docti ſunt ipſi, quam Aeſopus poeta. vnde enim poeta Aeſopus?aut quo poematis genere? Epico dices. credo,in celebrem,ac decantatam illam veſtram Epopæiam Aeſopum etiam adoptaſtis,itaque nouo poetæ paremus laurum,& in Parnaſo domicilium. Verum non omnes eum admittent, & ſi fabularum auctor egregius,excludetur à Muſis ni ſecum afferat aliquod inſtrumentum poeticum. ſic enim iuſſit Apollo.num enim omnes *μυθολόγοι*, omnes fabularum ſcriptores,poetę?vnde nouum iſtud decretum,cui nemo ſcribēdo adfuit?Audi,ſi lubet,Aphthonium.Ο' *μῦθος ποιητῶν μὲν προῆλθε, γεγένηται δὲ καὶ ῥητόρων ἐκ παραινέσεως.* *Fabula profecta quidem eſt a poetis, ſed & oratoribus cōmunis eſt facta, admonitionis gratia*.nouit enim eruditus ille ſophiſta duo genera fabularum,ſic inter ſe diſtincta,vt alterū cōtineat Μῦθους, *Fabulas poetarum*, quæ maxime delectationis cauſa ſolent

adhiberi;alterum Λόγους, ſeu Ἀπολόγους, *apologos*, quibus & oratores vtuntur,& philoſophi, multique ſcriptores alij, vel ad monendum,vel ad probandum.Quamobrem Hermogenes,ſiue quis fuit ille doctus Aphthonij explicator,& interpres,dixit,*Fabulam,chriam,& ſententiam deliberatiui generis eſſe.*& alibi.*Et ſi enim Herodotus,et alij fabulis vſi ſunt,his priores tamen fuere poetæ:hi namque voluptatis gratia fabulas tractarunt,rhetores vero præceptionem & fidem ſibi proponunt, dũ apologos contexunt.*quod item libro ſecundo artis Rhetoricæ nos docuit Ariſtoteles, qui iuſſit, *Oratorẽ vel res geſtas narrare, vel ipsũ confingere fabulas.*In quo illud inquit ineſſe boni, qđ res geſtas reperire difficile ſit, fabulas vero fingere, facile. Et in Partitionibus Oratorijs M. Tullius, dum oratorias argumentationes inſtitueret, inter alia fidei faciendæ præcepta fabulam collocauit, vt valde permouendis animis opportunam,cum ait.*Fabula etiam nonnunquam, & ſi ſit incredibilis, tamen homines commouet.*Quamobrem idem ipſe Cicero plerunque fabulam aliquã in ſuis orationibus appingit qualis eſt illa Cereris Ennenſis in 7.actione contra Verrem, & multis alijs in locis. Menenius autem Agrippa plebem cum patribus in gratiam reduxiſſe fertur, appoſita illa de cæteris membris humanis aduerſus ventrem coniurantibus,fabulã. quod exemplum memini à te quandoque celebratum ad oſtendendam orationis ſolutæ præſtantiam. ita ſæpe ſibi ipſi ſolent homines in eodem prorſus argumento repugnare. num igitur,quia fabulas narrari locis opportunis audiſti, ea cauſa poetam dices vel M.Tullium in orationibus, vel Titũ Liuium,& cæteros in ſuis narrationibus auctores? Si fabulę igitur ſunt poemata, eundem eſſe dicemus eodem tempore poetam,& oratorem;ac raro poterit oratio conſiſtere,atque fidem facere,niſi alicuius admixtione poematis. Sed & Plato 3.de Republica, hæc vtraque diſtinxit his verbis, Ἆρ' οὖν πάντα ὅσα ὑπό μυθολόγων, ἢ ποιητῶν λέγεται διήγησις οὖσα τυγχάνει; *nonne quæ a fabularũ ſcriptoribus, vel a poetis dicuntur, narrationes quædã ſunt?* Tu vero caue ne particulam ἢ, pro id eſt, accipias,ne propria deſere dogmata videare. Porro,nõ Aeſõ

pus ſolus fabulas conſcripſit, ſed multi fuerũt alij præclari viri, qui materiam hanc tractãdam ſuſceperũt, Porphyrius, vt eſt ab Euſebio proditũ, libros edidit, in quibus fabuloſos Deorũ ortus, & origines ad naturę totius rationẽ, & opificiũ reuocare conatus eſt. Zeno, Cleantes, Chryſippus, vt Cicero monuit in libris de natura deorũ, fabularũ antiquarũ ſcriptores, & expoſitores fuerunt; plures alij, quos ſi quis poetas fuiſſe contendat, is ſciat, ſe cum pertinacia mentis, rerum antiquarum ignorationem coniunxiſſe. Ex quibus omnibus iam ſatis declaratum arbitror, & oſtenſum, nullam orationẽ, quam nudam appellas, & ſolutam, vllum poema conſtituere, nec eum qui ſic ſcribat, iure poetam poſſe nuncupari. Verumtamen adhoc ipſum plenius confirmandum, Ariſtotelis dictum, ex tertio libro rhetoricæ artis, huc transferendum putaui, in quo ſic ait. *Poeticus enim ſermo non humilis, uerũ ſermoni ſoluto non conueniens.* Si non conueniunt inter ſe, differant oportet, ſi differunt, qua ratione ſibi poterit alter alterius appellationem arrogare? Sed & idem philoſophus ibidem. *Rhythmum habere debet oratio, metrum vero nequaquam, eſſet enim poema.* Quonam ergo modo tuebimur Ariſtotelẽ, ne ſecum ipſe pugnare videatur, ſi in arte poetica imitationẽ oratione ſoluta factam, cenſet eſſe poeſim, in Rhetorica uero eidem ſolutæ uerſum prohibet, ne fiat poeſis? quis iſtam pugnam dirimet obſecro? aut notam abſterget inuſtam philoſopho præclariſſimo? uos enim ferrei eſtis, nec ceditis adhuc quicquam, aut inhibetis ſemel inceptum mentis impetum. poteſt ne id ipſa rerum natura pati, ut eadem oratio ſoluta ſit poeſis, & non ſit poeſis? Cur iſtam pedeſtrem, ac diſcintam uirginem poemati deſpondes in poetica, times, & illi caues, ne cum poemate coeat, in rhetorica? cur quod in arte poetica poteſt eſſe poema, mox idem alibi dicitur à natura poematis abhorrere? quam polypi mentem mihi narras? aut quam arboris naturam, in diuerſa cęli regione uarie ſe permutantem? cur Θηραμένους κόθορνον? ſi in poemate licet lac album dicere, per Ariſtotelem, & carmina facere, licebit & in ſoluta pariter utrumque, quam idem eſſe cum poema-

te.

te, non Ariſtotelis, ſed ueſtra ſententia ſanxiſtis. Sed age conciliétur Ariſtoteles, ut ſæpe ſolet, eodem ipſo, & hominibus inuitis, conciliari, & ad quoſuis ſenſus, etiam contrarios pertrahi; non dixerit ille philoſophus, quod negari non poteſt. quomodo Socratem conciliabimus? hominem durum, & in unius dicti conſtantia, uel ſi mors ſit obeunda, perſeuerantem? is in Phædone, *ſe poetam eſſe factum clamat, ea ſane ratione, quod Aeſopi fabulas modulatus, ad poeſim traduxerit*. Quid hoc ò Socrates? nunc tandem factus? non ne etiam antea in dialogis, quos iſti clamant eſſe poemata? Aeſopi uero fabulæ ecquando deſierunt eſſe poemata? uereor ne te non ſanum eſſe dicant, amiſſa prope finem uitæ, recta ratione. Verum ego te defendam, Socrates, dicamque, non eſſe cur amentiæ condemneris, homo ſapiens, ob unum tantum Ariſtotelis aduerſarij tui uerbum, illudque uel male intellectum & explicatum, uel in dubium, & in quæſtionem reuocatum ab eruditis, uel tantummodo unum, quod multis eſt obnoxium abſurdis, & alijs eiuſdem ac plurimorum auctorum dictis, ac ſententijs repugnans. Poſtremo quam ineptũ ſit, & falſum, illud dicere, omnem imitationem ſermone factam, eſſe poeſim, præter ea, quæ dicta ſunt, operæpretiũ eſt, Hermogenem audire, qui cuiuſque ſcriptoris tenuiter elocutionem incidere, omnium optime membratim diſcerpere, & inſita vitia, virtuteſque indicare, conſueuit. Is igitur in panegyricæ orationis Idea, cum ſigillatim & Xenophontẽ, & Nicoſtratum, & Hecatæum hiſtoricos, & Aeſchinem Socraticum, & ante omnes Herodotum, in ſuis ſcriptis fabulas, & perſonarum imitationes, inſeruiſſe declaraſſet, præſertim vero Thucididem, tum in hiſtoria, tum in concionibus, & in dialogis, imitatione multa vſum, vt hinc patere cuique maxime poſſet, hiſtoricos etiam, & cæteros orationis ſolutæ ſcriptores, imitationem, & fabulas vt poetæ, quandoque conſectari, nec tamen eſſe poetas, poſtremo quaſi corollarium quoddam ex his omnibus excerpens, Epopǫiæ veſtræ dat, donat, dicat, inquiens, ἤδη δὲ καὶ προσώπων μιμήσεις, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ἐν τῷ περὶ πανηγυρικοῦ εἴδους ἡμῖν λέλεκται, ἃ δὴ καὶ οὐχὶ ἡ

ποίησις μόνη, οὐδὲ μὲν ἡ λογογραφία, ἀλλὰ καὶ ἱστορία ἔχει πλεονά-
ζοντα πάντα. ideſt. *Tā perſonarū imitationes, et huiuſmodi, quæ in panegyrica idea nobis dicta ſunt, non ſola poeſis, neque ſolum dialogi, cæteræque ſolute ſcribendi forma, ſed etiam hiſtoria cumulate retinet.* Poteram, ſi uoluiſſem, uel ſi potius opus eſſe putaſſem, adhuc ſexcenta proferre loca, quæ mihi perpetuo ſenſim, ac pedetentim ueniunt in mentem, ad probandum, imitationem ſolam in ſermone minime ſufficere poemati conficiendo, uerum cui non ſunt hæc ſatis, is alio uerborum genere uidetur, atque agreſtioribus pręceptoribus indigere, quam ij ſint, quos hactenus nominaui. Sed in his adeo immorari tā perſpicuis & cuique manifeſtis, neque decorum, ut uere dicam, neque dignitatem habet ullam, & ueriſimilius eſt, adoleſcentem illum Patauinum urbane ludere uoluiſſe tecum, ut fit in ſcholis, & inter amicos, quam ſerio dicere, quæ ſentiret. LIMP. *At vero ſcimus, Ariſtotelem acriter inuectum in eos, qui ex varijs metris poemata diſtinguerent, vt etiam Empedoclem, & ſi verſu ſcribentem, philoſophum potius, quam poetam, haberi velit, & Chæremonem multa varietate carminum vtentem, è poetarum numero tamen eximat, quod imitationem neglexerint. Cum ergo carminum vſus non efficiat, vt aliquis ſit poeta, ſed imitatio, hinc ſequi videtur, vt Tragœdia, & Comœdia, & ſi carminum expertes, imitationis tamen cauſa, ſint ad poeſim reuocandæ; & omnis imitatio ſermone facta, poema conſtituere poſſit.* PAVL. Miror equidem Limpi, te maxime cæteris in diſputationibus dialecticum, in hac tam facile Dialecticorum decreta prodere, & ab optima diſſerendi ratione, id eſt à te ipſo, tam cito deſciſcere voluiſſe. Et cum illud mihi ſit exploratum, in his rebus te neque labi, neque decipi ſolere, in eam plane cogitationem venio, tentandi potius mei, quam declarādæ opinionis tuæ cauſa, & hæc, & alia prorſus ἀσυλλόγιστα, te proferre. Etenim Empedoclem eſſe magis phyſicum quā poetam, cum imitatione caruerit, fateor ab Ariſtotele dictū, ac veriſſime quoque dictum, & ſi uerſu, poetico, inquam, inſtrumento, ſit uſus. uerum nihil ad uerſum. hinc tu non efficis, quod optas, ac longiſſime recedis à ſcopo. uide enim. Empedo-

pedocles, quia non imitatur, Ariſtotelis ſententia non eſt poeta, ergo quicunque imitatur eſt poeta, hoc uero nequaquam ſequitur, & huiuſmodi penitus abſurdam eſſe conſecutionem, dialectici tui nos docuerunt, & Ariſtoteles in ſecundo libro Topicorum. neque tu id neſcis, in ſyllogiſmo, ut aiunt, deſtruente, poſito antecedente, ſi ponatur conſequens, nihil omnino colligi, ut cum dicimus, ſi non eſt animal, non eſt homo, ſi aſſumamus, At eſt animal, ergo eſt homo, falſum eſt, & non cohæret. Eadem ratio eſt & Chęremonis, & ſexcentorũ aliorum, quos ut concedam non eſſe poetas, quod non imitentur, negabo poetas eſſe, quod imitentur tantum. Tu uero tanquam probatum illud ipſum admittis, quod tanquã probandum uocatur in quæſtionem. Ne mihi tu illud inculcaueris, quod manifeſtum eſt, & fatentur omnes qui non imitantur, eos non eſſe poetas, ſed potius illud proba, quod obſcurum eſt, & concedit nemo, quemcunque imitantem ſolum, eſſe poetam, uel ſi hoc illi conſequens eſſe contendas, oſtende, dialecticorum id inſtitutis non repugnare. Sed non poteris. Vt ergo nec uerſus abſque imitatione, ita nec imitatio ſine uerſu, poema poterit ullum efficere, cum utriuſque cauſa poeta ποιητής eſſe dicatur, ut audiuiſtis, & effector. LIMP. Iam nulli, mea ſententia, poteſt eſſe dubium, quin ita ſe res habeat, ut tu tot, ac tam claris auctoritatibus, & ualidis rationibus, confirmaſti. quare nihil amplius mihi iam uenire in mentem poteſt, quod hac in re dubitem, aut quæram. Et quod ad me attinet, niſi quid iſtis prætermiſſum uideatur, & aliquis ſit apud ipſos relictus dubitandi locus, iam tempus eſt hinc abeundi. SCAR. ne ſurgas tam cito Limpi; quo tu abeas quęſo? num animus eſt adhuc in illis mullis barbatis? noli dubitare, te expectant. ibimus ad forum piſcarium, ſi lubebit, una, ac ſimul ememus. LIMP. expecto libenter, ne uim facias. quid autem eſt præterea, quod ſit hac in re dicendum? equidem iamdudum acquieui. quare neque rogo, neque rogari cupio quicquam, & Paulinũ prorſus libero. SCAR. At ego nequaquam, neque enim ipſe, neque tu Limpi, hodie hinc abieris, niſi mihi

quoque fuerit ſatisfactum. num enim tibi ſoli ſapere Paulinum putas? PAVL. Ego uero neque uobis, neque mihi ſapio quicquam. Sed quid eſt, quod amplius me uelis. SCAR. Illud. Cauſam mihi explices uolo, cur poetarum carmina tantum habeant in ſe voluptatis, quantum & tu dudum prędicaſti, & omnes etiam ſentiunt? Delectare quidem illa, nemo non ſtultus neget; cur autem delectent, & vnde ſit hoc illis, id uero neque ſciunt omnes, & tu mihi narres cupio. neque enim erit huiuſmodi quæſtio præcedenti, vt videtur, inutilis. PAVL. Operarium, opinor, narratorem nactus es. uerum, an oblitus es, ecquid ego ſuſceperim explicandum, quid præſtiterim? SCAR. Mihi præſtitiſti nihil, qui nihil unquam dubitaui. PAVL. Tibi, an alteri: recte, an ſecus, omnino ęquum eſſet, nunc me quieſcere, & alteri has partes dare, qui ſit ad hoc ipſum, quam ego paratior, & ad reliquũ laborem recentior. Tuum eſſet hoc onus Marcelline. phyſicum .n. magis eſt, & à tuo ingenio, ac ſtudijs, in quibus uerſaris fere cottidie, non alienum. MARC. Hoc quidem, vt mihi uidetur, Platonicum eſt, ſiue potius Pythagoricũ problema; in quo tamen non conſentiunt uſquequaque Peripatetici. itaque uides, id non eſſe meorum ſtudiorum adeo proprium. fateor equidem me, cum iunior plus ocij nactus eram, ab iſta non alienum fuiſſe contemplatione. poſtquam autem elegantioribus illis, & iucundioribus, hæc ſucceſſere laborioſa magis, & moleſta medicinæ ſtudia, quæ me totum pene auferunt, illa prorſus intermittenda fuere, uel potius obruenda. Non recuſo tamen hoc onus, non vt ingenij mei proprium, ſed vt ueſtrum potius, veſtræque defatigationi, ac ſatietati ſuperfluum. SCAR. Hoc exordium Marcelline mihi potius uidetur eſſe ſuperfluum, neque leuare, ſed augere faſtidium, & ſatietatem. quin potius, iſtis nugis omiſſis, quod uenit in mentem quam primum exponis? MARC. Faciam; ne te magnopere excrucies. Dictum eſt ab Ariſtotele in arte poetica, quem locum attigit antea Paulinus, præter imitationem, *innatam eße noſtris animis, & inſitam, harmoniam etiam, atque numerum*. quam ſententiam eſt imitatus

M.Tul-

M. Tullius libro tertio de Oratore, cum dixit. *Nihil eſt tam cognatum mentibus noſtris, quam numerus, & voces, quibus excitamur, & incendimur; & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatem, & ad triſtitiam, ſæpe deducimur.* Hoc idem, experientia ſæpius à ſe comprobatum, retulit in aureo de compoſitione libello Dionyſius Halicarnaſſeus, his verbis. *Quis enim eſt, qui non hac quidem ducatur melodia, & quaſi præſtigijs capiatur, ab illa vero non item afficiatur? & his numeris concilietur, illis turbetur? equidem frequentiſſimo theatro mihi viſus ſum illud didiciſſe, naturalem eſſe quandam nobis omnibus cum conſonantijs, pulchriſque rhythmis, familiaritatem. Citharedum vidi, eumque celebrem, à multitudine exibilatum, quod chordam vnam extra concentum pulſaſſet, at ſi quis idiotam illum iuſſiſſet, ipſum ſumtis inſtrumentis, illud agere, & emendare, quod in illo reprehendiſſet, nullo modo potuiſſet. qua ratione? quod alterum artis eſt, quæ non eſt omnibus communis, alterum permotionis, & affectus, quem omnibus natura dedit.* Quam ſententiam forſitam accepit à M. Tullio Dionyſius, ex libro, qui dicitur Orator ad Brutum, quem etiam paulo ante indicauit Paulinus. *In verſu quidem,* inquit Cicero, *theatra tota exclamant, ſi fuit vna ſyllaba aut breuior, aut longior, nec vero multitudo pedes nouit, nec vllos numeros tenet, nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat intelligit, ſed tamen iudicium horum ipſa natura in auribus collocauit.* Et Ariſtoteles libro Ciuilis diſciplinæ nono ait. Ἔχει γὰρ ἡ μουσικὴ τὴν ἡδονὴν φυσικήν. *Habet enim muſica voluptatem naturalem.* & ibidem. Ἡ δὲ μουσικὴ φύσει τῶν ἡδυσμένων ἐστι. *muſica eſt ex ijs, quæ natura ſunt iucunda.* Verũ Scarano id non eſt, ut videtur, ſatis, non hoc quærenti, num muſica ſit nobis innata, ſed ulterius, qua cauſa ſit innata. Quod ſi ſubiecero, quia omnis harmonia pulchra eſt, ex Ariſtotele doctus, qui libro diuinorum 12. dixit, *ipſius pulchri tres eſſe maximas, & præcipuas ſpecies,* Τάξιν, συμμετρίαν, ὡρισμένον, *ordinem, commenſum, & definitum,* pulchrum autem omne ſuaue eſſe, & voluptatis conficiens, neque id erit ei ſatis. quæret enim rurſus, cur iſta proportio, & pulchritudo, ſuauitatem habeat? vnde mentibus noſtris hæc numerorum,

& pulchri cognatio? Ac ſi rurſus una cum eodem Ariſtotele, hanc ipſam quæſtionem, problematum ſectione decimanona, proponente; reſpondebo, Ὅτι ῥυθμῷ χαίρομεν διὰ τὸ γνώριμον, καὶ τεταγμένον ἀριθμὸν ἔχειν, καὶ κινεῖν ἡμᾶς τεταγμένως. οἰκειοτέρα ἡ τεταγμένη κίνησις φύσει τῆς ἀτάκτου. *Rhythmo nos gaudemus, quod notionem quandam, & ordinatum numerum contineat, noſque permoueat ordinate. natura namque magis eſt familiaris motus ordinatus, quam vagus, & ordinis expers.* Si hæc, inquam, dixero, nec item acquieſcet Scaranus, qui fortaſſe iterum, ac ſæpius rogabit, vnde nam hæc ordinis, cum natura noſtra conſenſus, & familiaritas? igitur alio confugiendum. Homines itaque, ac cætera animantia, cœlos item, & æthercam regionem omnem, ac denique rerum vniuerſitatem, eſſe primæ, diuinæque mentis opus, & ad illam, vt ad propriam parentem, & moderatricem, omnia referri, neminem arbitror ignorare. Cæterum cum productum omne ſimile quodammodo ſit oporteat ipſi producenti, ab eo neceſſe eſt ad ſubiectas partes influere, ac demitti vim quandam eidem ipſi ſimilem; & ideo cum anima rationalis ſit hoc affinitatis nexu cum diuinis coniuncta, diuinarum conditionum & ipſa debet eſſe particeps. Hoc multis ante ſeculis fuit ab Hermete ſcriptum, qui libro 10. ſic ait. Ἀνάγκη πᾶσι ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων συγκεκοσμεῖσθαι, καὶ πεπληρῶσθαι φύσιν πᾶσαν τὴν ὑποκειμένην. *neceſſe eſt omnino, ex ſupra poſitis exornari, & impleri ſubiectam naturam vniuerſam.* Hinc poeta. *Iouis omnia plena.* Porro cum illa mente tria nos potiſſimũ, ex Platonis ſententia in Phædro, & in Phædone, coniungunt, Philoſophia, Amor, & Muſica. Qua ratione ſupremam illam, ac beatam regionem, amore perenni, perpetuaque conſtare quadam harmonia, docemur, & beatos illos ſpiritus (Syrenas appellat Plato) cantibus, & hymnis, & muſica ſuauitate complere cœlum omne, mentemque celebrare, credimus. itaque poſt huius vniuerſitatis interitum, cum nihil erit ex naturalibus rebus, quod contemplemur, nihil ex mathematicis, quod metiamur, nihil ex dialecticis, quod diſſeramus, aut ex rhetorica, quod perſuadeamus, nihil ex alijs

de-

denique virtutibus, quod agamus, ſola charitas, & muſica ſupererit, in perpetuum tempus opificem laudatura. Huius autem harmoniæ ſupremæ ſimilitudo inferiori naturæ, cœlorum, inquam, orbibus, elementis, atque animantibus omnibus, homini præſertim, dicitur eſſe tributa. ineſt.n.omnibus totius partibus conuenientia quædam cum ſuo toto, & proportio muſica, quæ, dum cœleſtes globi mouentur, ſuauiſſimos ſonos efficit, antiqua Platonis, Pythagoræ, Apollonij Thianæi, Mercurij, ac reliquorum bene ſentientium, opinio. qua de cauſa Dorilaus dixit, *Mũdum nihil aliud eſſe, quam muſicum diuinitatis inſtrumentum*, & Strabo libro 10. idẽ affirmauit his ipſis verbis. *Et ideo*, inquit ille, *Plato, et ante ipſum Pythagoras, Philoſophiam muſicæ nomine appellarũt, ac mundum ex harmonia compoſitum aſſeruerunt, quicquid eſt muſicum, ad muſicamque pertinet, id eſſe Deorum opus exiſtimantes. hi bonorum omnium informationem ipſi muſicæ tribuerunt; quaſi quicquid mẽti noſtræ moderatur, id ad Deos ꝓpius accedat.* Hæc Strabo. Cæterum non vna, & ſimplex in cęlo, ſed variæ melodiæ reperiri dicuntur, alteram altera ſuauiorem, & diuiniorem. Etenim primam harmoniam obtinet anima cęli, ratione compoſitionis ex principijs eius, & ratione numerorum, quos includit. Secunda in orbe cæli conſiſtit, in quo mira proportione colligatę reperiuntur, & connexæ conditiones elementorum. Tertio, diuerſorum motuũ exiſtit harmonia cum ſtellarum, tum orbium, habita ratione velocitatis, aut tarditatis. harum trium prima eſt cauſa ſecũdæ, ſecũda tertiæ. Quarto conuenientem rationem conſideramus, aptamque inter motorem, & mobiles proportionem; prætereą inter motores, deinde ſextam inter magnitudines corporum mobilium. Septimo, interter animas & participatam mẽtem. Octauo inter aſpectus ſtellarum mutuos, & earundem luminum. ac demum inter cæleſtia corpora, & mundum mortalem. Ex quibus nouem rationibus, veluti nouem muſis, ipſe cæleſtis muſicæ chorus emanat, Deo gratus, & mundo ſalutaris. Hinc illæ nouem Syrenæ. hinc illa Platonicorum, animas cęlorum vna cum anima mundi, chorum nouem muſa-

rum conſtituere, quas nouem Syrenas appellant, diuinas illas quidem, ad ſummi boni, pulchrique nos adeptionem inuitantes. hæc eſt illa Pythagoræ deſcriptio, enunciantis, *cælum eſſe lyram Dei, ad cuius ſonum cuncta ſaltant, & canunt.* Hoc declarauit Maximus ille Tyrius, cũ dixit. Τὸν δὲ Ποσειδῶ πνεῦμα διὰ γῆς, καὶ θαλάττης ἰὸν, οἰκονομοῦν αὐτῶν τὴν στάσιν, καὶ τὴν ἁρμονίαν. *Neptunum* (dixit) *eſſe ſpiritum, terras, & maria permeantem, eorum temperationes, & harmoniam digerentem, & gubernantem.* Huius harmoniæ non modo particeps eſt anima noſtra præ cæteris his alijs ſub Luna conſtitutis, ſed ipſam eſſe harmoniam, & numerum voluerunt, vt aſſerit Ariſtoteles libro 9. Politicorum. Quamobrem eadem harmonia, præter cæteras virtutes, quæ in temperatione quadam, & ſymmetria conſiſtit actionum, æquabilitatem etiam in moribus, & in tota uita manſuetudinem, ac ſuauitatem, eſt apta nata retinere; à qua qui longius receſſerunt, immodeſti, ruſticj, truces, agreſtes, ac feri, ſunt appellati, velut ab hominum natura, hoc eſt à cęleſti conſpiratione, atque conſenſu degenerãtes. quocirca ferunt, Apollinem aliquando conſuluiſſe Socrati, muſicæ daret operam, quod a principio cum ille non percepiſſet, quod ad poeſim id ſpectare crederet, hymnos quoſdam componere, ac fabulas modulari cępit. verum intellectũ poſtea fuit oraculum, voluiſſe, non poeticam illo conſilio, ſed morum ſuauitatem, & humaniorem degendi cum alijs rationem illi perſuadere. Neque ſolum ad animæ conſtitutionem harmonia ſe inſinuat, ſed & corporum in omnes partes penetrat, & diffunditur; in quibus dum incolumis, & incorrupta manet, ſeruata numerorum, & ordinis proportione, viuunt, & vigent ipſa corpora; cum vero ſoluitur arcana uis illa, & ſymmetria muſica corrumpitur, diſſolui naturam neceſſe eſt, & dolores generari, ac denique mortem ipſam conſequi. Hanc vim cognouit apud Virgilium, libro 6. Aeneidos, Anchiſes, cum ita cecinit; *Principio cælum, ac terras; cãpoſq; liquẽtes, Lucẽtemq; globũ Lunæ, Titaniaq; aſtra, ſpiritus intus alit, totamq; infuſa per artus, Mẽs agitat molẽ, & magno ſe corpore miſcet. Inde hominum, pecudumq; genus: & quæ ſequũtur.*

Atte-

Atteſtantur autem pueri, in quibus, vt in ſpeculis, maxime natura cernitur, ingenitam hanc, & innatam animalibus omnibus ad harmoniam, & cantus, inclinationẽ, & muſicę dulcedinis ſenſum, qui cum aliqua re noxia triſtantur, & vagiũt, nutricum nenijs, & varijs modulationibus, non modo recreantur, & conticeſcunt, ſed etiam ſuaui ſomno ſopiuntur; quod & experientia cottidie declarat, & Galenus eleganter admodum confirmauit in primo libro tuendæ valetudinis cap. 4. qui cum plura facundus ille vir in hanc ſententiam dixiſſet, hæc tandem protulit, δηλούσης ἂν κἀν τῷδε τῆς φύσεως, ὅτι πρὸς μουσικὴν, καὶ γυμναστικὴν, οἰκείως διάκειται. *manifeſtante & hac in re natura, ipſos ad muſicam eſſe, & exercitationem interne propenſos, & affectos.* Eſt autem tam hominis proprium, tamque ſenſibus noſtris, coniuncta muſica, vt Plato cenſuerit, nihil facilius in teneras puerorum mentes ingredi, quam varios canendi modos. Nec vero ſolum homines ipſi, ſed etiam bruta, ratione carentia, cantu, muſiciſque concentibus delectantur. etenim cerui, Plinio auctore, fiſtularum ſono mulcentur; & elephantos ait Strabo, mirum in modum cantu delectari. quid? auium ille tam varius, tamque multiplex concentus, aut qui liberi vagantur in agris, & ſiluis, aut qui in ornithonibus detinentur incluſi, non ne declarant aperte, muſicam, & harmoniam ipſis etiam auibus ingenitam, & innatam? quod muſicum inſtrumentum æquare cantu luſciniam poteſt? Sunt in quibuſdam Apuliarum partibus (ne fabulam eſſe credas, ipſe vidi, quod dicam, & tu videre potuiſti Scarane) verum ſunt ibi animalcula quædam, non multo maiora muſca, quorum venenatis morſibus, qui maximum plerunque ſolent hominum vitam in diſcrimen adducere, præter muſicam, mederi nulla res alia poteſt. Iacent homines illi, quos impurus ille pupugit ictus, ſic affecti, vt quaſi demortui, ſe ſe mouere, aut aliquid intelligere, nequeant. audito vero ſono, mouentur ſtatim, exurgunt, ſaltant totis uijs, idque tamdiu faciunt, faciunt autem per plures dies, dum uirus exoluitur. Verum interea, ſaltantibus, & furentibus illis, ſi muſica ceſſet aliquantulum, concidunt iterum, & languent

immo-

īmmoti,illud,quod uerum eſt,nos docentes, animalia non ſolum in ſe ipſis natura quaſdam informatas habere muſicæ notiones, ſed etiam in aliorum corpora poſſe uim eandem leuiſſimo contactu transferre. Quid ergo mirum, ſi tympanorum ſonitus,& tubarum clangores,ad prælia, quaſi furore quodam percitos,incitare uidemus equos,& eos ferociores,uelut admotis ſtimulis,in hoſtes reddere? non eſt,inquā, mirum,animantia cuncta,quædam obſcurius, alia illuſtrius, ad muſicos modos eſſe propenſa, quando totum hunc inferiorem orbem,& omnia,quæ ſuo is ambitu fouet,& complectitur,à cęleſti corpore connexa pendere,ab eo uitam, ortū, & incrementa recipere, corpora uero cęleſtia, ac ipſam uniuerſi animam ab immortali Deo muſica ratione procreatā, philoſophi diuina quadam, & ſubtiliſſima indagatione deprehenderunt? Quid? non ne huiuſmodi ſymmetria continetur tota ſanitatis, & morbi ratio? dum enim humorum harmonia ſeruatur in corpore,ſanum illud præſtat,lætū,florens,& ualidū,ad agendū cū uoluptate efficax, & expeditū. Si uero labefactetur illa ratio,cōtra,nullū eſt membrū,quod in officio maneat.quamobrem in eo maxime uidetur optimi medici cura uerſari,ut priſtinā immodicis humoribus,& nimiū de naturę curſu digreſſis,cōuenientiā, & quē acceperūt ex cęleſti cognatione conſenſum, reſtituat. qua in re ſupremum medicum, & omnium rerum ſummum opificem imitatur, qui omnia in numero pondere, & menſura diſpoſuit, & conſonam eis harmoniam, qua conſiſterent, & diu permanerent, eſt elargitus. Quare diuini philoſophi diuinus interpres Ficinus dixit, *nullare tam frenari melancholicum humorem; & melancholicos homines iuuari ſolere, quam Amore, & Muſica, quibus illa ſuperbientis humoris indomita ferocia vel reſtinguitur, vel certe cōprimitur.* Hanc igitur ingenitam, ſiue mundanam, ſiue cœleſtem, & ab origine prima diuinitus infuſam harmoniam, atque muſicam,hominum induſtria in artem referre, quantumque fieri poſſit, auſa fuit imitari, uoce,pedibus, & inſtrumentis,quæ vel tactu, vel pulſu,vel flatu,ſonis quibuſdam, & per tempora dimenſionibus, quos

rhy-

rhythmos, ſeu numeros appellarunt, artem omnem abſoluunt, qua vel Deum, diuoſque venerantur in templis, vel homines hilariores efficiunt in conuiuijs, & feſtis diebus, vel triſtes in mærore conſolantur, vel laſciuos adulantur in ocio. Verum enim vero muſicæ artis facultas, & præſtantia, latius antiquo tempore patebat. miros enim effectus, & vim eximiam illius harmonię commemorant. Dorius enim tonus pudicitiæ largitor erat, & caſtitatis effector. Phrygius ad pugnas excitare poterat, & ad furorem homines inflammare. Animi tempeſtates Aeolius tranquillabat, & ſommum pacatis conciliabat. Iaſius obtuſam acuere mentem ſolebat, atque terreno deſiderio flagrantes, ad cœleſtium bonorum appetentiam reuocare. Lydius denique moleſtas curas, animique tædia demendo, firmius oblectationes corroborabat. His alijs ſubiecti erant modi, Myxolidius, & Myxo Phrygius, & alij quidam, quibus uim fuiſſe dicunt admirandam, de quibus omnibus copioſe diſſeruerunt Heraclides apud Athenæum, libro 14. Apuleius libro primo Floridorum; Martianus libro vltimo, Caſſiodorus libro ſecundo variarum epiſtolarum ad Boetium, Franciſcus denique Patricius accuratiſſime Decadis Hiſtorialis libro ſeptimo. Huius igitur artis non exigua pars eſt poetica, quæ mutuatur ab ea inſtrumenta varia, metrum, harmoniam; & rhythmum, ſeu numerum, quæ commemorauit Ariſtoteles in arte poetica. Conficitur autem metrum certa pedum, & uocum ratione, legibus quibuſdam ad ſuauitatem concluſa, & circumſcritta. Eſt itaque metrum inſtrumentum muſicum, & muſicæ legibus, atque conſtitutioni ſubiectum; quemadmodum auctoritate Hippaſi Metapontij Martianus libro nono declarauit, his verbis *ἰδικόν eſt, quod ex perſeuerantibus, & ſimilibus Conſonabat, ideſt ſono, numeris, atque verbis. ſed quæ ex his ad melos pertinent, harmonica dicuntur, quæ ad numeros, rhythmica; quæ ad verba metrica.* Patricius autem huiuſmodi antiquitatum ſedulus indagator, id ipſum confirmauit Italicis verbis, hoc modo. *Queſti coſi fatti piedi, e le lor qualità, e conditioni, furono conſiderati dalla prima parte materiale della Muſica,*

e da

e da ſuoi maeſtri, come quella, che conſiſtendo nel parlare, era principal parte della poetica, e fondamẽto dell'altre due, Harmonia, et Orcheſi. Subijcitur ergo poetica, & poetarũ metrũ, muſicę arti, tanquã pars eius magna. itaq; ἀείδειν, hoc eſt canere, poetę dicuntur. quocirca Socrates, ut dictum eſt antea, in ſomnis ab Apolline admonitus, vt in muſicam imcumberet, carmina pangere, verſuſque facere inſtituit. quocirca Muſarum alumni, Muſarum aues, appellari poetę ſolent a Gręcis, *Et Plato 2. de legibus in hanc ſententiã ſic ſcripſit.* Καθάπερ ἐκεῖ φασί τὰ τὴν πολλὺ τοῦτον σεσωσμένα χρόνον μέλη τῆς Ἴσιδος ποιήματα γεγονέναι. *Illæ, quæ tã multo tẽpore ſeruabantur ibi cantiones, Iſidis fuiße poemata.* Quid igitur mirum, omnem poeſim, cuius quidem finis, & ſi non præcipuus, & poſtremus (non enim iam id quæro, aut contra diſputo) ſed tamen finis quidam, eſt ipſa delectatio, atque ea ratione muſicis vtitur, ad delectandum inſtrumentis, quorum vnum, & eximium, voluerunt eſſe metrum, tantam & oblectationem, & voluptatem, & ſuauitatem habere? poterit id, inquam, delectatione carere, cuius vis omnis, & natura, conſtat ex rebus, ad delectandum repertis? cuius partes, & inſtrumenta, ſunt voluptatis, & totius ſuauitatis, adminiſtra? quicquid in poeſi conſiderabis, id omne vel delectationem in ſe continet, in quo maxime laborarunt poetæ, vel doctrinam, & vtilitatem, quã ſcientia ciuilis illi præſcripſit. ex hac enim ſcientia λαμβάνει, dixit ex Proclo Paulinus, τὰ ἤθεσμα, præcepta ſumit, & recte viuendi normam. Ex quibus illud elicere poſſumus, poeſim, eam, quæ uere poeſis appellatur, & quæ præceptis ſibi ſuperioris facultatis obtemperat, quam recipit in ſua Republica Plato, nihil aliud eſſe, quam Philoſophiam, muſicis inſtrumentis vtentem. quod etiam à Maximo Tyrio fuit affirmatum, dum his uerbis Homerum appellaret. *Te vel Iouis filia docuit, vel Apollo. Muſarum autẽ, & Apollinis documenta quid aliud exiſtimabimus eſſe, quã id, ex quo ſuũ anima recipit ornamentũ? id vero quid aliud erit, quã Philoſophia? hanc vero quid eſſe dicemus, præter accuratã & diuinarũ, & humanarũ* rerum ſcientiam? Res igitur philoſophicę cũ muſica ſuauitate coniunctæ

iunctæ, arctiſſimæ ſocietatis vinculo, & honeſti, ac delectabilis, eleganti connexione, poeticam abſoluunt, & cõſtituunt artem omnem quod & ſi ſatis hucuſque patuit, locum tamen, omiſſis ſexcentis alijs eiuſdem & philoſophi, & poetæ quondam, ſapientiſſimi Platonis, ex ſecundo de legibus libro, proferam. *Quemadmodum, inquit, laborantibus, & imbecillis hominibus, in aliquo ſuauiori vel cibo, vel poculo, vtile tentāt alimentum præbere, improbum autem in moleſtis, vt alterum amplectantur, alterum reÿcere conſueſcant, ſic & optimus legislator poetam perſuadebit, & ni obtemperet, etiam coget, temperantiū, & fortiū, & omnino bonorū virorū, pulchris, & laudabilibus uerbis, habitus in rhythmis, & cātiones in harmonÿs, vt decet, canere.* Ex his autē, quæ dicta ſunt, iam πόρισμα illud, appēdicula, & corollarium oritur, poeſim antiquitus habuiſſe comitem, præter inſtrumenta reliqua, cantum etiam, atque proprium poetarum fuiſſe Τὸ ἀείδειν, καὶ ἀοιδοὺς εἶναι, *canere, & cantores eſſe.* ait enim Homerus libro 9. Odyſſeę. Πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισιν ἀοιδοὶ, Τιμῆς ἔμμοροί εισι, καὶ αἰδοῦς, οὕνεκ' ἄρα σφέας, Οἴμας μοῦσ' ἐδίδαξε, φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν. Id eſt, *Cantores etenim cunctis reuerentur, amantque, Namque illos Odas docuit dea grata poeſis.* Nec obſcurius hoc idem Plutarchus, de Oraculis pyth. annuit, dicens, *Amorem exuſcitare, & commouere in poetis* Ποιητικὴν, καὶ μουσικὴν δύναμιν, *vim poeticā, & muſicā, antea latentē, & ocioſam.* Et Lucianus, de ſacrificijs ait, *poetas inuocare muſas* συνῳδοὺς, *cōcantatrices, in principio ſuorū carminū.* itaque neque metrum, neque cantus à poemate fuiſſe videtur eo tempore ſeparatus. quod eſt & rationi quoque conſentaneum. Si quidem oratione ſoluta velle cantus, ac numeros, accurate moderari, alienum videbatur a muſica, abſonū, & laborioſum præterea. Cum enim interminata ſit omnis oratio pedeſtris, & ea cauſa etiam, vt Ariſtoteles ait 3. libro artis rhetoricæ, iniucunda, cantu, qui termino, & menſura concluditur, haudquaquam adeo commode, modulateque comprehendi poteſt; Sed metrum ad hoc eſt aptius, quod eā dem recipit cum ipſo cantu dimenſionem: quid enim eſt aliud metrum, niſi cantus menſura? quid cantus, niſi modu-

latio

latio vocis, ad metri rationem directa? quod quidem annuit etiam M. Tullius in tertia Tuſculana cum inquit. *Præclarum carmen. Eſt enim & rebus, & verbis, & modis lugubre. modus autem eſt menſura cantus. quare dicitur modus aut ſeſquiplex, aut duplex, aut triplex, & reliqua huiuſmodi menſuræ.* Vidit hoc & Quintilianus, cum dixit. *Poetæ lectio ſit cum ſuauitate quadam graui, & non quidem proſæ ſimilis, quia carmen eſt, & ſe poetæ canere teſtantur.* & idem libro primo eoſdem poetas muſicos, vates, & ſapientes, iudicatos tradit. Hoc Hermogeni non fuit ignotum, qui in principio tractationis Idearum, *qui ſint ideæ cuiuſque proprij rhythmi,* Καθ' ὅσον ἐγχωρεῖ λέξει πεζῇ, χωρὶς τοῦ περιάδειν, προσαρμόσειν τινὰ ῥυθμὸν, τοῦτο δείξειν. *quantum licet orationi ſolutæ, extra cantum, rhythmum aliquem accommodare, id ſe demonſtraturum inquit, extra cantum, non adhibito metro naturali; ac poetico, quod cantus eſt comes.* Congruebant autem ſingula verſuum genera ſuis certarum rerum cantibus, vt exempli gratia, In hymnis Apollinis Pythij, Iambus apte pugnam exprimebat, quam habuerat ille, cum ſerpente. referebat etiam dentium illum conflictum, & ſtridorem, pugnantis, ac furentis draconis, quem ὀδοντισμόν appellabant; ſpondeo vero victoriam eiuſdem concinebant, quod accurate declarauit Pollux libro quarto, & pluribus affirmauit Ariſtides Rhetor, qui in oratione ad Sarapin, loquēs de cantilenis, & hymnis, ait, Πολὺ ῥᾷον δι' ᾠδῆς, ἢ λόγῳ ταῦτα ποιεῖν. *multo facilius eſt verſu, quam ſermone ſoluto, hæc canere.* quo in loco idem ſcriptor vbique poetis carmen, tanquam ipſorum proprium, tribuit, & hac re ſuperari proſæ ſcriptores ab eis, aſſerit, quod & Iſocratem in Euagora dixiſſe, paulo ante Paulinus retulit. Hac igitur de cauſa ſæpiſſime vel muliercula domi, vel pueri per vias, vel artifices in officinis, canere, leuandi laboris cauſa, ſolent, non ſolutum quid, uagum, & errans, ſed uerſus, quoſcunque quidem illos, ſed tamen uerſus. Et a Franciſco Patricio quoque fuit egregie, cum in principio ſuæ poeticæ, tum accuratius adhuc in ſeptimo libro declaratum, ac probatum Tragædias etiam, & Comædias ab hiſtrionibus in Scena cantari ſolitas. quod confirmatur uno,

& al-

& altero Ariſtotelis problemate ſectionis decimænonæ dũ de harmonia uerba facit; quærens enim cur hypodorice, & hypophrygice canere non conuenit in Tragædia Choro, reſpondet, quod huiuſmodi harmoniæ ſunt eorum propriæ, qui uerſantur in Scena, tanquam magis ſtabiles, ac magnifice, cum imitentur heroes, & magnos uiros, Chorus autem conſtet e popularibus. Sed & à Suetonio accepimus, Neronem Tragædias cantaſſe perſonatum, heroum, & Deorum. Et Plato Ionem alloquens, dixit. *Cum apte carmina refers, & ſtupore perculſos reddis ſpectantes, ſiue dum Vlyſſem in limen inſilientem, ſeu dum miſerabile quiddam, & querulum circa Andromachen, vel Hecubam, vel Priamum cantas.* Et idem libro 7. legum, appellauit tragicos Παῖδας μαλακῶν μουσῶν ἐκγόνους, *mollium muſarum filios*. De Roſcio autem hiſtrione loquens M. Tullius in primo de Oratore, inquit. *Solet Roſcius dicere, ſe, quo plus ſibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos, & cantus remisſiores, eſſe facturum*. quaſi id diceret, cum per ætatem non poſſet ille uocis uehementiam, & contentionem priſtinam ſeruare, ſe remiſſurum illam cõtentionem cantus, ac ſimul remiſſurum eſſe tibicinum modos, cum quibus cõgruebat cantus, & hac de cauſa Φωνασκίαν exercere dicebantur hiſtriones, ut uox cantui reſponderet; Plutarchus enim (ſi forte hoc extra rem ſcire cupis) in libro, ubi de Athenienſibus agit, ait, *ipſos publico ſumptu multos hiſtriones aluiſſe, dum illi phonaſco, vociſque moderatori, operam darent*. Et Suetonius in Auguſto, inquit. *Pronunciabat dulci, & proprio quodam oris ſono, dabatque aſsiduo phonaſco operam: is enim vocem intorquere, remittere, leuare exaſperare, docebat*. Ego vero pulcherrime videor poſſe monſtrare illud idem, tragædias cantari conſueuiſſe, locis duobus diuerſis ex Ariſtotele decerptis, & in vnum collatis. Inquit enim in Poetica. *Tragædiam oratione ſuaui purgare animorum affectus; verum id ipſum in Muſicam confert libro nono Ciuilis ſcientiæ, cum ait,* Τὶ λέγομεν κάθαρσιν, νῦν μὲν ἁπλῶς, πάλιν δ᾽ ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον. *quid purgationem dicamus, nunc quidem breuiter, & vniuerſe, rurſus in arte poetica clarius exponemus*. Si igitur purgationem

nem

nem muſica factam, ſe clarius expreſſurum dicit in poetica, quis non videat, cum in poetica idipſum præſtet oratio ſuauis tragædiæ, hanc orationem idem eſſe cum muſica? ſi hanc inquam, animi purgationem, quam ex muſica conſequimur, differt in illud tempus illuſtrius explicandam, cum de poetica aget, in poetica vero tragędiam hoc præſtare confirmat oratione ſuaui, planum profecto eſt, hanc ſuauem orationem vnum, & idem eſſe cum illa theatrali muſica, quãdoquidem idem ibi promittit, quod hic exequitur. His autem, & rationibus, & auctoritatibus, etſi quis affirmare liberius auderet, in recitandis tragædijs, & comædijs adhiberi conſueuiſſe cantus, id tamen haud vſquequaque, & omnibus in partibus ſeruatum videtur, vt & Donatus in Andria Terẽtij obſcure tamẽ, refert, & ex his Ariſtotelis uerbis elicitur in arte poetica. Τὸ δὲ χωρὶς τῶν εἰδῶν, τῷ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι, καὶ πάλιν ἕτερα διὰ μέλους. id eſt, *Dico autem ſeparatũ à ſpeciebus, ſiquidem metris tantũ aliquæ partes ipſius (tragædiæ) abſoluũtur, aliæ cãtu.* Cęterũ ex his apertiſſime ſequitur, quod & res ipſa, ſcriptorumque multitudo, & omnium ad hæc vſque tempora, conſenſus, confirmat, nihil vnquam poeticum à metro fuiſſe diſiunctum. Verſum igitur eſſe ſuauem, & vt Muſęi utar uerbis, Βροτοῖς ἥδιστον, *hominibus iucũdiſſimũ*, & qua cauſa id illi cõtigerit, audiuiſtis, rationibus ab origine rerũ, & natura, petitis, & ex auctorum dictis, minime, ut arbitror, cõtemnendis. Sed age, remotis his auctoritatibus, & rationibus, quarum vis, & facultas ad fidem faciendam maxime quæri ſolet, videamus, num id ipſum aliqua poſſimus experientia comprobare, propoſito nobis ad contemplandum aliquo alicuius poetæ carmine, in quo ſi tanta ineſt huiuſmodi ſuauitas, fortaſſe non latebit, ſed emerget, excuſſis in ipſa compoſitione latibulis. Atque ſi placet, unum Virgilij uerſum aliquem expendamus, quemcunque ſors dederit. Sunt enim omnes æque propemodum, quod ad grauitatem, & ſuauitates attinet, inter ſe ſimiles. Audiamus ergo Didonis uerba, tragicam ſtatus conuerſionem, exprimentis: fortaſſe uos emollient ipſius ultima uerba. quandoque enim ingen-

tes trepidare Titos, ait Perſius, cum carmina Lumbum, Intrant,& tremulo ſcalpuntur ubi intima uerſu. Inquit igitur moritura Dido.

Dulces exuuiæ, dum fata Deuſq; ſinebant,
Accipite hanc animam, meq; his exoluite curis.

Omitto nunc reliquas ſuauitatis formas, quæ quandoque poſſunt eſſe cum oratione ſoluta communes, cuiuſmodi couqueſtionis eſt locus à commutatione fortunæ, in commiſeratione ualde celebris. præterea proſopopæiam, quæ rebus anima carentibus, & mutis, animam & ſpiritum tribuit: quæ omnia miſerationem excitare,& cum motu ſuauitatem efficere poſſunt haud exiguam, præſertim, cum ea nobis dolemus eſſe relinquenda, quæ cara quondam fuerũt. hæc omitto, quæ & ſi ſint magis,& præcipue poetarum propria, permittuntur aliquando tamen & oratoribus, nunquã hiſtoricis, vel raro; qualis eſt illa ingentis affectus, & commiſerationis apud Xenophontem, nec minoris ſuauitatis proſopopęia, libro 7. Pędiæ, cum de Abradata interfecto, ac de Panthæia eius vxore loquitur. conceduntur & alijs etiã ſcriptoribus alię multæ ſuauitates, ut frequens uſus litteræ, E, vt cum cadit in ſyllabam longam oratio, ac ſexcentas alias taceo ſuauitatis formas, de quibus copioſe Rhetores egerunt. Quod vero ſpectat ad propriam hoc in loco carminis vim, & virtutem, illud eſt heroicum, hexametrum, conſtans ex tribus dactylis, tribuſque ſpondæis, qui pedes ita commixti nõ ſolum ſuauem, ſed etiam grauem reddunt orationem, ac dignitatis, cum quadam miſeratione plenam. qua de re copioſe diſſeruit Hermogenes in Idea ſuauitatis, & dignitatis, & Antonius Lullus in libro de Oratione, ad quos te reijcio. *Dlces*, In re plurimum antea dulci, ſibique maxime cara, libuit immorari pluſculum,& ideo ſpondæus accerſitus, cuius tempora ſunt longiora. deinde dactylos adiungit, tum vt celeritatem illius breuiſſimæ voluptatis oſtenderet, tum etiã, quia fata, Deus, magnæ res ſunt, grauiorem rhythmum, Dactylum, requirebant. *Accipite hanc animã.* Vides vt crebritate

H dacty-

dactylorum, celeritatem pręſentis actionis, & voluntatē quā primum è vitam migrandi præſeferre uidetur? & geminata vocalium colliſio turbationem, & conflictum mortis & vitæ in ultimo diſcrimine ſignificat? Verum immuta, ſi placet, aliquantulum carminis & uerborum ſtructuram, hoc modo, Dulces exuuię dum fata, & Deus ſinebant. abſtuliſti concentum omnem, appoſita particula, &, quæ quaſi fluentis orationis curſum intercepit, & ex duobus dactylis præcedentibus, & ſpondęo in fine, quibus ſuauitas comparabatur, præpoſitus eſt ſpondæus, quem ſequitur tribrachus, & alter ſpondæus, quibus facta eſt aſperior oratio. Immuta nunc aliter. Dulces exuuiæ, dum Deus ſinebant, & fata, Dum fata ſinebant, & Deus, nihil effeciſti. uel dum fata, Deuſque ſinerent; iam ultimo loco poſuiſti pyrrhichiū, qui ob celeritatem magnam, præcipitem, ut audiſti, dedit orationem Muta ſic; Dū fata, Deuſque ſinebant, dulces exuuię; nihil peius. Denique quocunque modo uerſum inuerteris, conquerentur magis aures, quam Dido. Horum ergo duorum uerſuum, uel alterius ipſorū, uel cuiuſuis ex aliquo poeta, mihi uelim iſti poetarum noui chirurgi ſuo ſoluto ſermone vim, ſi poſſunt, & ſuauitatem exæquent. hoc ſi præſtiterint, non modo pedes, ut cogitant, uerū & manus, & caput amputent impudentibus, ac ſacrilegis huiuſmodi Tragædijs, & Comædijs. ſin minus, ipſi ſe potius intelligant eſſe ſine capite, qui tam inani conatu rem tantam, tanto ſtrepitu machinentur. nam ſi uerſus præſtantiam non aſſequitur oratio ſoluta, huius autem ille ſuperat, uideant ij, qui uerſibus ſolutam præferunt in poematis, ne plus iudicij requirant in ipſis homines, quam rhetoricæ. Pedum igitur, & numerorum huiuſmodi compoſitio, & huiuſmodi quies, impleat in oratione ſemper aures, præſertim in verſu, qui terminatione aurium repertus eſt, & obſeruatione prudentium, diuino quodam ingenio præditorum; ut iure pronunciare potuerit Cicero in Tuſculanis, Poeta graue, plenumque carmen, non ſine cęleſti aliquo mentis inſtinctu fundit. Ex quo liquido percipi poteſt,

quan-

quanto uerſentur in errore, qui Comędias, & Tragędias, carmine ſolutas, in ſcenam adducendas cenſent. Quæritur in ſoluta quoque oratione numerus, & ſonus quidam, qui auriũ iudicio ſatisfaciat, ſed non ad exquiſitam poetici compoſitionem, & ſtructuram; ut cum in triſyllaba clauſula, exẽpli cauſa, uolunt, ut poſt Trochæum collocetur Moloſſus, quemadmodum à Cicerone fuit obſeruatum in oratione pro ſexto Roſcio Amerino, *Mare fluctuan tibus, litus eiectis.* ſi pro Trochęo, ſpõdęum reponas, & dicas, Mare fluctuantibus, rupes eiectis, clauſulę uenuſtatẽ obſcurabis. Male quoq; ſi pyrrhichiũ pro ſpódęo ſubſtituas; Mare fluctuãtibus, lapis eiectis. peius, ſi dactylus orationẽ claudat, Mare fluctuantibus, litus naufragis. Vides ergo, non qualemcunque conſtructionem eſſe venuſtam, ſed quam apti pedes, & congruens numerus efficit. Hoc vero tantam vim habet, vt Dionyſius Longinus dicere coactus fuerit, Ὅτι τῆς συνθέσεως ποιητὴς ὁ Εὐριπίδης μᾶλλον ἐστὶν, ἢ τοῦ νοῦ. *Euripidem magis eſſe compoſitione, quam ſententia poetam*, vt qui res humiles, & vulgares, reddat ipſa cõpoſitione ſublimes, & ſuaues. Id autem confirmauit in Oratore ad M. Brutum Cicero, cui maxime placuit in fine dichoræus numerus, qualis eſt ille, *Patris dictum ſapiens filij temeritas comprobauit.* quo dichoræo tantum clamorem concionis excitatum eſſe dicit, vt admirabile eſſet. Verborum, inquit, ordinem immuta, fac ſic, comprobauit filij temeritas, iam nihil erit. decidit enim in pęanem ex vna longa, & tribus breuibus, quem pedem Ariſtoteli probatum in rhetoricis, ipſe contempſit. Verum quid poſſit harmonia, non ſolum in verſu, in quo quaſi dominatur, ſed in oratione quoq; ſoluta, quę numeros uelut abſque numeris adhibet; ac metris, ſine lege metrica, utitur, quid tamen ea poſſit, omnium optime demõſtrauit Dionyſius Halicarnaſſeus in libello de compoſitione uerborum, ubi uerſus Homeri heroicos, hexametros perfectos, in tetrametros odicos commutat, in quibus, ijſdem uerbis, & eodem ſenſu manente, mutatur illa priſtina pulchritudo carminis, & uenuſtas. ac poſt multa idem auctor, ſe mani-

feſto declaraſſe ait, quod fuerat ante propoſitum, maiorem eſſe uim in compoſitione poſitam, quam in quocunque dele-ctu uerborum, ipſamque compoſitionem Homericæ Mineruæ ſimilem ait, quæ Vlyſſem efficiebat nunc rugoſum, paruum, & deformem, Πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον, ἠδὲ γέροντι: *mendico ſimilem imbecillo, vel ſeni*, nunc uero pulchrum, magnum, & præ omnibus alijs conſpicuum. eodē ſane modo cō-poſitio, eaſdem omnino uoces, nunc ut abiectas, deformes, humiles, & mēdaces, exhibet, nunc altas, ſublimes, pulchras, & uberes ad ſpetiem effingit. & hoc eſt inter poetam, & alterum poetam, aut oratorem, diſcrimen; & oratores hoc inter ſe differunt, quod accommodatius, & concinnius alij ſtruūt, & coagmentant orationem, alij ſecus. Ex quibus omnibus facile cuiuis erit, iam carminis natura perſpecta, colligere, & audacter una cum Paulino confirmare, melius eſſe Tragædias, & Comædias metrorum uinculis alligare, nec poſſe ſatis niſi carmine poematum illorum dignitatem retineri, aut ſolidam utilitatem, integramque uoluptatem percipi. Atque hæc mihi uenerunt in mentem Scarane, quæ breuiter, & ex tempore dicerem de natura, & origine ſuauitatis, quam ex uerſu percipimus. plura, & diſtinctiora qui cupiet; & enucleatiora, ex ipſis muſicis, & ex ijs qui de arte poetica ſcripſerunt, haurire ſua ſponte per ocium, ac proprio ſtudio poterit. SCAR. Egregiam, ita uiuam, & ſtrenuam hodie nauaſti nobis operam Marcelline, & ita copioſe collegiſti omnia, quæ propoſitum argumentum attingunt, ut nihil addi poſſe uideatur, neque muſicis alijs, aut poeticis cuiquam hac in re poſthac ſit futurum opus. LIMP. Si tibi quoque ſatisfactū eſt, Scarane, quid adhuc agimus, aut petimus amplius? imus ne hinc hodie? SCAR. nihil moror, aut in forum, aut quocūq; me duces, ſequar. PAVL. Siſte paulum Scarane. SCAR. Ego vero iamdudū id ago. hic autē vir æſtuare videtur. neſcio quid properat. Quæſo Limpi moremur paulum, dum ſaltem Prætoris edictum recitetur, quod in hanc eandem ſententiam factum eſt, priuſquam hi teſtes abſcedant.

dant.

dant. LIMP. expectetur, recitetur, aduesperaſcat; quid tandem ad me. PAVL. Audite quæſo. Ne tragædiæ, & comædiæ conquerantur amplius, iniuriam ſibi fieri, multis auditis teſtibus Græcis, & Latinis, hoc edicto cautum eſt illis in omne tempus.

L. Verus Prętor, M. Pedio Liberio, Q. Verſutio Muſęo Cóſs. edixit. Cum renuntiatum ſit nobis, eſſe homines, qui nouum tragædiarum, & comædiarum genus inſtituant, ueteribus, & recentioribus optimis tragædijs, & comædijs, de uetere carminum poſſeſſione, per vim, & iniuriam, quaſi mali carminis auctoribus, deiectis, cumque in earum locum diſcintas quaſdam, abſonas, & inconcinnas, ſubſtituere conentur; eam rem nobis, ac Muſis, contra Rempub. uideri, placereq; ne uis eis fiat in poſterum ulla. Interim autem vnde vi eiectæ ſunt, eo reſtituantur. quodcunque nouatum eſt, irritum, infectumque eſto. Si quid mercatura librariorum damni contraxerit, ſarciatur à deiectoribus. Pedes ex lege Memia, tres vel quatuor, & quotcunque uiſum fuerit opus eſſe, pro tuendis finibus concedantur, aſſignentur Tragicis, & Comicis.

Si quis uero ab hac ſententia prouocauerit, aut dolum malum oppoſuerit, & inique ſecum actum conqueretur, ſi cauſam doli mali probauerit, aut teſtes eſſe falſos, & corruptos dixerit, ei iudicium dabo, & nouam actionem permittam.

Si cui tamen appellare non libuerit, compromittere uero cauſam omnem in arbitrum aliquem magis placuerit, habebitur eius uoluntatis ratio; communem eligam uobis arbitrū, qui tantam cauſam ſuſtinere, ac dirimere queat. Ego uero neminem ad hanc fore controuerſiam aptiorem exiſtimo, quam eum, qui cum ſit omnium eruditiſſimus, optime cuiuſque iura cognoſcere, cum ſanctiſſimus, recte cauſam iudicare poterit. Hunc eſſe aſſero Laurentium Maſſam litteratorum Mecęnatem, & Muſarum omnium alumnum; quem ſcimus in diſciplinis omnibus, ſacris, profanis, philoſophorum,

poe-

poetarum, oratorum, in Hiſtoria, & politicis ita uerſatum, ut iure quis eum oppellare Sapientiæ bibliothecam poſſet. auctoritate uero tanta eſt, ut ei certius ego ſententiam dicenti crediderim, quam citatis antea teſtibus, Ariſtoteli, uel Platoni; creditum quoque fuit in ſimili diſceptationi ſæpius ab alijs. Hunc ergo uirum arbitrum atque diſceptatorem Paulino, & cuicunque dabo. quamcunque ſententiam is dixerit, ei ſtandum cenſebo, ſic iubet Apollo, Muſarumque Chorus incorruptus.

Venetijs Octau. Kal. Sext. M. D C.

FINIS.